



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LX. De Sacramentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO LX.

De Sacramentis.

ARTICVLVS I.

Virum Sacramentum sit in genere signi?

DIVVS Thom. tractaturus de Sacramentis, quæ Christus Dominus Ecclesiæ suæ reliquit hac questione naturam & rationem Sacramenti omnibus communem Sacramentis inuestigat tum per partes metaphysicas, genus inquam & differentiam; tum per phycas, materiã scilicet & formã. Præsenti autem articulo inquirat genus Sacramenti, respondetque quod licet Sacramentum varijs modis sumi solet; hic tamen commodè sumi possit pro signo rei sacræ, & proinde reponi in genere signi; quod non aliter ostendit quàm quia Sacramentum dici potest id, quod ad rem sacram aliquam dicitur habitudinem, & per consequens etiam id quod dicitur habitudinem signi.

ARTICVLVS II.

Virum omne signum rei sacræ sit Sacramentum?

CONCLUSIO est negatiua. Sacramentum enim tantum est signum rei sacræ hominem sanctificantis, scilicet ipso vfu; vel, vt Caiet. hic, est signum rei sacræ, vt actualiter exercet sanctificationem hominis.

Ex his art. D. Thom. colligitur definitio Sacramenti, quod scilicet sit signum rei sacræ in quantum sanctificantis homines.

ARTICVLVS III.

Virum Sacramentum sit signum vnius rei tantum?

POSTQVAM ostendit Sacramentum esse signum rei sacræ homines sanctificantis, inquit num solum illius rei sit signum?

Resp. neg. docens Sacramentum esse signum rememorative passionis Christi, demonstratiuum gratiæ, & præparatiuum futuræ gloriæ. vbi obiter

Aduerte id solum competere Sacramentis nouæ legis; nam Sacramenta legis veteris non potuerunt esse signa rememorative passionis Christi, cum ea nondum esset exhibitã.

Hic aliquot dubia sunt explicanda.

DVBIUM I.

De nomine Sacramenti.

HÆRETICI nostri temporis non tantum naturam, vim, & numerum Sacramentorum insectantur, sed & ipsum Sacramenti nomen in ea significatione, qua passim ab Ecclesiã vsurpatur, reprobant. nam vt refert Bell. præfatione in tomum 2. controuersiarum, Zuinglius in libro de vera & falsa religione, dicit, vocem istam Sacramenti magnopere cupere Germanis nunquam fuisse receptam. Melancthon: quæ alij Sacramenta nos signa appellamus.

Sed immeritò: cum illud nomen in vulgari significatione à plerisque antiquis Patribus vsurpatum fuerit: Tert. lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 40. ait, ipsas res Sacramentorum diuinorum diabolus amulari in idolorum mysterijs, eo quod & ipse baptismo quosdam tingat, & signet in frontibus milites suos, quo loco nomen Sacramenti apertè vsurpat in significatione passim à Scholasticis vsurpari solita, vocans Baptismum & Confirmationem diuina Sacramenta; quæ paulò post vocat Sacramenta Christi. Cyprianus epist. 1. lib. 2. quæ est ad Stephanum, ait: tunc enim demum planè (vel vt alia lectio habet plenè) sanctificari & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur. vbi loquitur de Baptismo & Confirmatione. Idem agens de Eucharistia lib. 2. epist. 3. quæ est ad Cæciliam, scribit; quo & ipse Sacramento populus noster ostenditur adunatus. Hieron. in caput 44. Ezech. nemo enim potest passionis Domini, Corporisque eius & Sanguinis promeruisse rei Sacramenta cognoscere.

Plures Patres prætereo qui nomen Sacramenti in eadem significatione vsurparunt: & proinde vsus illius nominis in ea significatione non potest merito reprobari. Quod ex eo potest confirmari, quod Sacramentum in Scriptura etiam pro signo rei sacræ accipitur; ad Ephes. 5. propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesiã. vbi Apost. coniunctionem Adami & Eux, nec non & aliorum coniugum, vocat Sacramentum (græcè *μυστήριον*) id est signum vniõis Christi & Ecclesiæ. porro eum loqui de coniunctione matrimoniali Adami & Eux & aliorum coniugum, patet ex eo, quod præmittit: propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna; & ex eo quod inde hortetur viros vt vxores diligant exemplo Christi, qui Ecclesiã sponsam vsque ad sanguinis effusionem dilexit. Quod si Sacramentum aptè significet signum rei sacræ, nihil vetat illud nomen peculiariter vsurpari pro quibusdam signis rei sacræ nos sanctificantis.

DVBIUM II.

In quo variæ Sacramenti definitiones ab hæreticis traditæ referuntur & expenduntur.

NOTANDVM hæreticos nostri temporis docere nos sola fide iustificari, ea scilicet persuasione, qua credimus peccata nobis esse remissa, quam fidem vocant specialem. Ex quo errore, tum in alijs materijs, tum in materia Sacramentorum,

Hæretici nostri etiam nomen Sacramenti reprobant.

Refelluntur ex PP. Tertull. Cyprian. Hieron.

Sacram. etiam in Script. pro signo rei sacræ ponitur. Ephes. 5.

5.

alij

alij varij dimanant. Ita enim Sacramentum definiunt, vt eius naturam & virtutem evertant.

Lutheri
definitio.

Lutherus (vt refert Bellarm. libr. 1. de Sacramentis in genere cap. 14.) lib. de captiuitate Babylonica cap. vlt. dicit Sacramenta propriè esse promissionem signo externo annexam. quod duobus modis potest intelligi: vno, quòd Sacramentum sit signum aliquod externum habens annexam promissionem gratiæ sanctificantis, scilicet tanquam effectus conferendi per ipsum Sacramentum illud recipientibus cum legitima dispositione: qui sensus verus est & catholicus, non tamen à Luthero intentus, repugnatque hereticorum principijs & erroribus de Sacramentorum virtute. Altero modo intelligitur, quòd Sacramentum nihil aliud sit, quàm signaculum seu sigillum ob signans promissionem gratiæ nobis datæ per fidem specialem, quæ credimus peccata nobis esse remissa, seu certos nos reddens quod gratiam ratione fidei habeamus.

6.

Explicatio
Kemnitij.

Quam definitionem recipiunt & explicant Lutherani, vt patet ex Bell. loco cit. nam Kemnitius vult ad Sacramentum requiri 1. materiale, seu visibile elementum. 2. vt illud signum habeat expressum mandatum, idque in nouo Testamento. 3. vt sit ceremonia vsque ad consummationem mundi duratura. 4. vt annectatur promissio de peccatorum remissione, quæ promissio ob signetur singulis Sacramento vtentibus.

Reijcitur
definitio.

Hæc Luth. definitio falsa est. Vel enim vult quòd Sacramentum seipso, nullius alterius interuentu, ob signet promissionem gratiæ antea concessæ; seu quod per illud reddamur certi quòd gratia antea fuerit nobis collata, & remissa peccata: quod, etiam secundum Luth. falsum est, cum remissionem peccatorum tribuat fidei speciali, quæ iuxta hanc explicationem non interuenit: vel vult quòd Sacramentum hanc promissionem nobis ob signet, excitando fidem, quæ nobis persuadeamus quòd peccata nobis sint remissa; quo etiam sensu falsa est definitio. 1. quia Lutherani baptizant infantes in quibus hæc fides excitari non potest, cum non vtantur ratione.

7.

Infantibus
concedi ra-
tionis vsu,
dum bapti-
zantur: Lu-
theri com-
mentum.

Dicit Luth. hæc eis rationis vsus concedi. Sed id absque fundamento dictum est, cum Luth. ad perpetuum miraculum recurrat, cuius nullum appareat indicium. Adde quod si infantes ratione vtentur, graniter peccarent, cum eiulent dum baptizantur, & quantum in se est, sese subtrahant ablutioni.

2. adultis potest conferri baptismus in quibus hæc specialis fides non excitetur: quia verba formæ baptismi latine prolata non sunt apta ad excitandam fidem remissionis peccatorum acceptæ; non est autem dicendum præter rerum ordinem Deum semper adesse, & huiusmodi fidem excitare in omni eo, qui Sacramentum recipit.

Dici posset quod Lutherani concionem præmittant ad eiusmodi fidem excitandam.

Verum id non iuuat; quia mulier, etiam quæ non possit concionari, potest secundum Luth. baptizare. 2. quia etiam præmissa concione, quæ recepturus Sacramentum excitetur ad fidem concipiendam de remissione peccatorum sibi facta, potest liberè credere sibi remissa peccata, potest etiam non credere; igitur Sacramentum non est sigillum ob signans promissionem iuxta sensum Luth. cum homo recipiens Sacramentum possit non credere peccata sibi remitti.

3. vt concederetur quod quicquid huiusmodi con-

cionem audiens crederet, nihil minus inepta illæ definitio Sacramenti tradita, cum non tam Sacramentum excitaret in nobis fidem de peccatorum remissione obtenta, quàm praua concio: neque Sacramentum potius esset dicendum sigillum ob signans promissionem, quàm quilibet aliud: Nam iuxta Luth. principia, nullus est certus de peccatorum remissione accepta, nisi credat: hæc autem fides non magis innotescit per Sacramenti susceptionem, quàm per quilibet aliud, & per consequens Sacramentum non debet potius dici sigillum promissionis, quàm quilibet aliud externum per accidens speciali fidei coniunctum. Denique huiusmodi sigillo non est opus, cum per fidem certi sint de remissione peccatorum, & se habere fidem non minus possint certò scire sipe Sacramento atque cum illo.

Kemnitij etiam explicatio partim falsa est, partim non ita coherens cum principijs hereticorum. 1. falsum est ad Sacramentum in genere requiri elementum visibile, si hoc stricte intelligat sumatur elementum pro eo quod solo sensu visus aut tactus percipitur: nullum enim sufficiens habet in Scriptura vel ratione fundamentum.

2. etiam falsum est ad rationem Sacramenti requiri mandatum in nouo Testamento de cerimonia, quæ dicitur Sacramentum; nam baptismus erat Sacramentum antequam obligaret, cum Christus ante suam passionem baptizauerit, quando lex noua nondum obligabat. Item Eucharistia secundum Lutheranos est Sacramentum, cum tamen iuxta eorum principia non facile possit ostendi, quo loco in nouo Testamento de ea extet præceptum, cum locum Ioannis 6. nolint de Eucharistia intelligi; ex Lucæ vero 22. soli litteræ inhærendo non facile conuincitur præceptum omnibus impositum. nam hæc verba, *hoc facite in meam commemorationem*, diripiuntur ad sacerdotes, qui per summptionem rei oblatæ debent fieri participes sacrificij. Vel ergo debent admitttere traditionem ex qua constat eo loco etiam dari laicis præceptum de Eucharistia sumenda; vel debent negare Eucharistiam esse Sacramentum; vel certè debent negare ad rationem Sacramenti requiri vt de eo extet præceptum.

3. Sacramenta iuxta Lutheranos solum sunt sigilla quædam quibus nobis ob signetur diuina promissio de gratia concessa; ad hoc autem nullo modo requiritur mandatum, igitur non satis consequenter suis principijs, & nature Sacramenti à se posita requirunt mandatum ad eiusdem Sacramenti rationem. Minor patet; non minus possumus esse certi de gratia nobis concessa si vtamur signo ad id instituto à Deo sine præcepto, quàm si vtamur signo præcepto. Conf. præceptum nullam vim adfert ad reddendum aliquem certum, quam non possit adferre simplex rei institutio ad aliquid significandum destinata.

4. Lutherani nolunt penitentiam esse Sacramentum, cum tamen, si elementum visibile paulò latius sumant pro signo externis sensibus perceptibili, nihil desit penitentiae eorum, quæ ad rationem Sacramenti Kemnitius requirit. Nam est signum sensibile, cum in ea requiratur externa penitentis confessio, & sacerdotis absolutio. 2. de ea extat mandatum in nouo Testamento Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt*: ex quibus posterioribus verbis constat dari præceptum penitentiae vt suo loco ostendetur. 3. eo loco instituitur ceremonia

vsque

vique ad consummationem seculi in Ecclesia duratura, cum verba citata non ad solos Apostolos, sed etiam ad eorum in sacerdotio successores dirigantur, & per illa verba erigatur in Ecclesia tribunal, non minus pro fidelibus posteriorum temporum, quam pro ijs qui erant in initio Ecclesie. 4. annecti promissionem gratiae patet illis verbis, *quorum remisistis peccata remittuntur eis*. illis enim erigitur tribunal in Ecclesia, in quo homines Deo reconciliantur, & à peccatis absoluantur; quae reconciliatio non fit absque gratiae infusione, ut suo loco 1. 2. ostenditur.

Id tamen quod in eadem 4. conditione requiritur Kemnitiis, scilicet quod promissio obsequetur singulis Sacramento vteribus, esse falsum, patet ex refutatione Luth. Adde quod nobis non sit notus per Sacramenta obsequari diuinae promissiones gratiae acceptae, quam sint ipsamet promissiones, cum promissiones in scripturis contentae sint clare, igitur Sacramenta inepte ponuntur sigilla obsequantia promissiones, seu nobis facientia fidem de diuinis promissionibus gratiae nobis concessae: nam id quod in alterius notitiam inducit debet eo esse notius.

Dices quamuis promissiones in se notae sint, non tamen est notum quod nobis sint applicatae; id autem innotescit per Sacramenta.

Sed contra est 1. quod iuxta Lutheranos non innotescat nobis remissa peccata per Sacramenta, sed per fidem; igitur Sacramenta secundum se non debent poni signa, quibus promissio notescat, nec secundum se debent dici notiora ipsa promissione, cuius in nobis faciant fidem. Consequenter probatur quia, ut dictum est, Sacramenta nec semper nec per se hanc persuasivam de remissione peccatorum obtenta secum adferunt, ut patet in paruulis, surdis, amentibus baptismum recipientibus.

Dices Sacramenta esse signa iustitiae ijs qui credunt.

Resp. id dici non posse iuxta Luth. cum doceat eum qui non credit facere Deum mendacem; igitur censet absolute in receptione Sacramenti Deum testari remitti peccata; quod ex dictis patet esse falsum.

Alij haeretici, ut refert Bell. lib. cit. cap. 15. docent Sacramenta nihil esse aliud, quam signa quadam, quibus populus Christianus à Iudeis & Paganis distinguitur.

Hae Sacramenti descriptio est insufficiens; quamuis enim per usum Sacramentorum Christiani distinguantur ab alijs & inter se conueniant; id tamen neque est solus finis & effectus Sacramentorum, neque precipuus; cum scriptura longe excellentiorem vim tribuat Sacramentis nouae legis. nam Act. 2. dicitur, *penitentiam agite & baptizemini*; cuiusque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum. Apostolus etiam tribuit baptismum virtutem abluendi 1. ad Cor. 6. *sed abluti estis, sed sanctificati estis*; ad Ephes. 5. *mundans eam* (scilicet Ecclesiam) *lavacro aquae in verbo* vult. Ioan. 6. Eucharistiae tribuitur vivificare.

2. si nostra Sacramenta solum praestarent distinctionem populi Christiani ab alijs, nullo modo deberent censeri excellentiora Sacramentis legis veteris; cum per illa Iudaei à gentibus distinguerentur.

3. si Sacramenta nihil aliud praestent, ut quid in adultis opus est praeparatione ad baptismum suscipiendum, prout Petrus Apost. exigit Act. 2. cit. similiter ut quid Apost. 1. ad Corinth. 11. hortatur

sumptuos Eucharistiam ad congruam praeparationem per diligentem conscientiae examinationem, dicens, *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*; certe ut suscipiatur signum solum institutum ad distinctionem Christianorum ab alijs, non est opus poenitentia vel accurata sui discussione, ut inestiger homo num digne illud suscipiat.

Ex his refellitur & illa Anabaptistarum doctrina, qua censent Sacramentum nihil esse aliud quam allegorias, & quaedam quasi signa bonorum operum, & vitae spiritualis; cum, ut ex dictis patet, Scriptura longe excellentiores effectus tribuat Sacramentis, & praeparatio necessaria, ut illa rite suscipiantur, arguat Sacramenta longe aliam vim habere.

Refellitur & Zuinglij doctrina dicentis Sacramenta nihil esse aliud quam oppignerationem quandam qua homo sese Christo obligat, eiusque militiae nomen dat. Quamuis enim per Sacramenta id fiat, ex dictis tamen patet longe alios effectus iisdem tribuendos, & quidem principales, & proinde insufficiens rationem Sacramenti nouae legis (quod solum in illa definitione comprehenditur) per hoc munus describi; praesertim cum ex haereticorum sensu, in illo munere non censentur alij Sacramentorum effectus confusi contineri, quandoquidem hoc vel similia munia ita Sacramentis concedunt, ut omnem vim circa gratiam, & animae sanctitatem denegent. Inde etiam Zuinglij definitio refelli potest, quod iuxta illam per Sacramenta nihil ex parte Dei praestaretur; quod ut vidimus est à scriptura alienum.

Calvinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 1. definit Sacramentum, externum symbolum quo benevolentiae erga nos suae promissiones conscientijs nostris Dominus obsequat ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo & Angelis, quam apud homines testatur.

Per quam definitionem Calu. vult 1. Sacramentum esse nudum symbolum & signum gratiae, non etiam causam: quod iisdem argumentis refelli potest, quibus definitio Luth. est refutata.

2. vult Sacramentum esse symbolum diuinæ benevolentiae erga nos &c. quibus verbis vult Deum per Sacramentum nobis testari nos esse praedestinos, & per Sacramentum obsequari in nobis gratiam praedestinationis: quae doctrina falsa est. 1. non est nobis notius Sacramentum esse sigillum gratiae praedestinationis in nobis, quam nos esse praedestinos: igitur non potest eam gratiam in nobis obsequari nos de illa certos reddendo. 2. ex illa doctrina sequitur, vel solos praedestinos recipere Sacramenta, vel Sacramentum esse sigillum falsum, cum sit sigillum per quod significatur recipientem esse praedestinat; igitur vel soli praedestinati Sacramentum recipiant, vel si recipiant etiam non praedestinati, ipsum Sacramentum est falsum signum.

Ex quo ulterius sequitur conferentem Sacramentum sese exponere periculo gravissimi mendacij, inimo & sacrilegij; cum Sacramentum conferat ijs de quibus nullo modo ei constare possit, num sint praedestinati; quod tamen testatur per Sacramenti collationem. Sequitur etiam recipientem Sacramentum gravissimum sacrilegium committere; cum nullus citra peculiarem revelationem possit esse certus de sua praedestinatione, & accedens ad Sacramentum velit recipere signum, per quod de illa certus reddatur. Immo sequitur 4.

hoc

12.

Doctrina
Anabapti-
starum.Item Zuing-
lij.

13.

Definitio
Caluini.Impugna-
tur.Sacramen-
tum non
est sigillum
praedestina-
tionis diui-
nae.

14.

Absurdum
ex doctrina
Caluini.

hoc mendacium in Deum refundi, cum iuxta Caluin. per Sacramentum Deus in nobis testetur suas promissiones & benevolentiam, qua nos praedestinavit; igitur si Sacramentum reprobo conferatur, Deus censetur mentiri. conseq. patet: praebet alicui testimonium de sua praedestinatione, qui tamen non est praedestinatus. Confirm. Deus iubet omnes baptizati, ergo iubet omnes recipere sigillum suae praedestinationis; constat autem non omnes esse praedestinatos; igitur iubet aliquos recipere falsum sigillum; ergo censetur in aliquibus mentiri.

15.

Dices solos praedestinatos recipere Sacramenta, & proinde non sequi Sacramenta esse falsa signa.

Non soli praedestinati recipiunt Sacramenta.

Sed contra facit 1. quod Sacramenta ex Christi institutione sint communia salutis media pro Christianis communiter instituta. 2. quando applicatur materia & forma cum intentione Sacramendi conferendi & recipiendi, recipitur Sacramentum: haec autem omnia possunt in reprobo inueniri. 3. grauissimum est sacrilegium sese exponere periculo nullitatis Sacramenti, sed si Sacramenta solis praedestinatis conferrentur, minister communiter iuxta objectionem sese exponeret periculo nullitatis Sacramenti. 4. Caluinista censent in Ecclesia Romana verum baptismum conferri, cum non rebaptizent eos qui ab Ecclesia ad eos deficiunt: atqui conformiter suis principiis non possunt prudenter sibi persuadere omnes recipientes baptismum in Ecclesia Romana esse praedestinatos, cum permanentes in ea careant speciali fide haereticorum ad salutem iuxta illos necessaria; ergo debent sentire baptismum non solis praedestinatis conferri, & proinde in alijs esse falsum signum, ut ostensum est. Idem ostenditur ex eo quod plures ab haereticis baptizati ad Ecclesiam reuertantur; inde enim sequitur quod non omnes apud illos baptizati sint praedestinati, vel certe quod in Romana Ecclesia aliquis saluari possit; quod eorum doctrinae repugnat.

In Ecclesia Romana confertur verus Baptismus, secundum Caluinistas.

16.

3. Calu. vult Deum per Sacramentum suas promissiones obfirmare conscientijs nostris; qua loquendi forma vult in receptione Sacramenti nos reddi certos de diuina erga nos benevolentia, & de gratia praedestinationis: quod nullo modo dici potest.

Deus per Sacramentum non obfirmat promissiones suas conscientijs nostris.

1. quia secundum Caluinistas infantes ante usum rationis baptizari possunt, quorum tamen conscientijs Deus suas promissiones non obfirmat, cum eas non valeant apprehendere. 2. censent baptismum in Romana Ecclesia collatum esse validum, cum tamen iuxta illius Ecclesiae usum, quando confertur baptismus, non habeatur concio ad excitandam persuasionem quod baptismus suscipiens sit praedestinatus; & dum applicatur materia & profertur forma, idiote non facile possint ad huiusmodi persuasionem excitari. Idem dicendum de baptismo apud illos sine praenuntiatione collato, quem non negant esse validum. 3. recipiens Sacramentum, vel necessario habet huiusmodi persuasionem de sua praedestinatione, vel non habet necessarium; si dicatur posterius, Sacramentum ex se & sua ratione non obfirmat in nobis promissionem gratiae praedestinationis; si dicatur prius, necessarium dicendum est innumeros per Sacramenti susceptionem impelli & conijci in maximum falsi iudicii periculum: cum enim plurimi etiam baptizati sint reprobi, & nullus citra peculiarem reuelationem possit absque temeritate certo sibi

persuadere se esse praedestinatum, quisquis baptizatur concitatur in maximum falsi iudicii periculum, dum adigitur ad id firmiter sibi persuadendum.

4. Dicit Sacramenta haec praestare ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem: in qua sententia difficulter apparet quid velit. Vel enim vult Sacramenta obfirmare conscientijs nostris promissionem diuinam praedestinationis, sine interuentu specialis fidei; quod haereticorum principis repugnat; praeterquam quod Sacramentum non possit dici obfirmare conscientijs, ubi non est conscientia, quae iuxta illos non inuenitur, si absit specialis fides de reconciliatione &c. Vel vult Sacramenta excitare in nobis fidem, quae aliquo aegre excitaretur; quod etiam dici non potest, ut ex dictis patet. 1. quia eam vim non habet in paruulis. 2. non habet in idiotis. 3. fides alijs medijs potest excitari, ut per obseruationem mandatorum diuinorum, per pia opera ex Dei inspiratione facta.

Pro his haereticorum definitionibus opponi potest 1. quod Apostolus ad Rom. 4. agens de circumcisione dicat, & signum accepit (scilicet Abraham) circumcissionis signaculum iustitiae fidei; igitur circumcisio teste Apostolo est signaculum; ergo & reliqua Sacramenta.

Resp. 1. negando secundam conseq. quia ex eo quod circumcisio fuerit signaculum ex diuina deputacione, non sequitur Sacramenta in genere esse signacula ad sensum haereticorum.

Resp. 2. neque circumcisionem in quolibet circumciso fuisse signaculum, sed in solo Abrahamo ex privilegio personali, ut ex loco citato patet. Unde non sequitur nostra Sacramenta esse signacula promissionis &c. in iis qui ea recipiunt.

Resp. 3. ne quidem in Abrahamo fuisse signaculum promissionis, sed acceptae iustitiae per fidem, quando adhuc praepriatus creditur Deo asserenti eius semen multiplicandum sicut stellas, Gen. 15. ita ut per circumcisionem declaratum fuerit, quod Deo credens & obediens, fuerit in praepotio iustificatus, & pater multarum gentium constitutus. nullo ergo modo hic locus haereticis fauet; cum Apostolus solum velit docere hominem sine circumcisione posse iustificari; (ut patet ex fine cap. 3. eiusdem epist.) quod declarat exemplo Abrahami, qui ante acceptam circumcisionem adeptus est iustitiam, dum Gen. 15. Deo creditur; cuius iustitiae acceptae per fidem signum fuit circumcisio, quae etiam fuit signum quod ratione eiusdem fidei fuerit constitutus pater multarum gentium, non tantum earum quae sunt ex circumcisio, sed etiam earum quae ex praepotio.

Opponitur 2. quod SS. Patres Sacramenta non raro vocent signacula.

Resp. eos nullo modo fauere haereticis: neque enim volunt Sacramenta esse & dici sigilla, quod diuinas promissiones in nobis obfirmant, excitant fidem & persuasionem quod sumus iusti vel praedestinati, sed alijs de causis. 1. quia in se claudunt res mysticas, gratiam scilicet inuisibilem quam Sacramenta nouae legis tanquam causa continent, ut suo loco ostendetur: hoc modo Aug. lib. de catechizandis rudibus cap. 26. Sacramenta vocat sacra signacula. 2. quia Sacramenta obfirmant fideles, & eos separant ab infidelibus: quo sensu idem Aug. lib. 19. contra Faustum cap. 11. & alibi Sacramenta vocat signacula.

Opponitur 3. quod miracula possint diuinas promissiones confirmare; immo inter homines vna

promissio

promissio possit aliam confirmare: quidni ergo Sacramenta possint statui sigilla diuinas promissiones nobis obligantia?

Resp. 1. id dici non posse, cum Scriptura longe aliam vim Sacramentis tribuat; nunquam verò vel eadem vel Patres istius rationis, quam comminiscuntur haeretici, vel leuiter meminerint.

Resp. 2. magnum esse discrimen inter miracula ex vna parte, & Sacramenta ex alia; quòd miracula ex se independentia à promissione vim obtineant, & proinde possint optimè promissionem confirmare; quod etiam de secunda promissione respectu prioris dicendum; cum posterior promissio non dependeat à priore, vt vim obtineat, & vt sit signum practicum alterius confirmatiuum: Sacramenta verò dependeat à verbo Dei, ita vt si quis verbo Dei non credat, fidem illis non sit adhibiturus; & ita vis Sacramentorum ad confirmandas promissiones non est nobis notior quàm sint ipsamet promissiones, & per consequens Sacramenta non possunt commodè constitui sigilla confirmatiua diuinarum promissionum.

Opponitur 4. locus 1. Petri 3. vbi dicitur quod & vos similis forma saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bona interrogatio in Deum: pro eo enim quod habemus interrogatio, Lutherus vertit pactum; quasi velit Apost. baptismum esse pactum, id est signum pacti Dei nobiscum.

Resp. hunc ipsum locum repugnare Luth. cum baptismus dicatur saluare, & conferatur arca Noë, quae liberauit octo animas, non testando Dei promissionem, sed re ipsa ab aquis diluuii eripiendo: & dico Apostolum per quamdam antithesim & ex effectu docere baptismum spiritualiter hominem regenerare, Deo reconciliare, eiusque amicum constituere, hoc modo: quemadmodum olim arca Noë octo animas ab aquis diluuii liberauit, ita & nos liberat baptisma, quod non est carnalis lotio, per quam scilicet corporis sordes purgantur, sed spiritualis, per quam deleantur sordes animae, & anima spiritualiter regeneretur; quae purgata, munda & Deo grata audeat cum fiducia ad Deum accedere, eumque tum pro se, tum pro alijs per Christi merita interpellare. vbi Apostolus ab effectu per bonae conscientiae interrogationem, vim baptismi describit, per quam vocem, interrogatio, doctrinam vertit gratiam & negotium.

DVBIUM III.

Vtrum Sacramentum definiri possit?

Aliqui negant; aliqui partim affirmant, partim supponunt, cum varias Sacramenti definitiones assignent. Sed discrepantia videtur esse de nomine: quod vt aduertatur

Notandum 1. Sacramentum non tantum dicerem, quae ad esse Sacramentale euehitur, vel verba quatenus sunt quidam sonus, sed etiam dicere verborum significationem, quam habet ex instituto; inimò vltra illa omnia dicere quandam significationem, quam tam res ipsae quàm verba habent vt assumpta à Deo ad aliquod ex peculiari eius institutione significandum: v. g. baptismum dicere lotionem aqua factam, dicere etiam verba, ego te baptizo &c. cum eorum significatione ex hominum instituto; & insuper dicere significationem quam tam lotio aquae, quàm ipsa verba habent ex diuina institutione, per quam factum est, vt hec sint euecta ad rationem cuiusdam caeremoniae sa-

cræ, & ad aliquid supernaturale significandum.

Ex quo patet Sacramentum non esse vnum per se, sed aggregatum per accidens. Vt enim in exemplo baptismi persistamus, satis constat aquam, & verba seu sonum, non posse inter se coire, & ad se mutuo ordinari ad vnum per se constituendum; immò nec ipse verborum sonus cum eorundem significatione, possunt vnum per se constituere; cum significatio sit sono extrinseca pendens ab hominum instituto. Adde vltiorem significationem rebus & verbis ad esse sacramentale assumptis esse etiam extrinsecam: propter quam rationem non possunt esse vnum per se etiam ea Sacramenta quae non videntur constare verbis, vt Sacramenta veteris Testamenti, item Eucharistia; similiter matrimonium, in quo non necessario verba requiruntur.

Notandum 2. definitionem strictè sumptam esse entium per se, siue ea sit physica per materiam & formam, siue sit metaphysica per genus & differentiam; quod in philosophia receptum est.

Ex quo satis patet priorem sententiam veram esse, si intelligatur de stricta definitione: posterior tamen rem theologicè explicando, & definitionem paulò latius sumendo, sustineri potest: nam etiam artificialia vt domus, sedes &c. suo modo definiti possunt: similiter & dignitates morales, vt dignitas regis &c. solent definiti. Quamuis ergo Sacramentum non sit ens vnum per se, si tamen definitionem paulò latius sumamus, non incongruè potest definiti: vt re ipsa passim à Doctores definitur

DVBIUM IV.

Quid sit Sacramentum in genere?

Magister in 4. dist. 1. §. quid sit Sacramentum? definit Sacramentum inuisibilis gratiae visibilem formam; alij aliter.

Commoda est definitio, quae ex articulis D. Th. explicatis elicitur, quòd scilicet Sacramentum sit signum rei sacrae, nimirum in quantum hominem sanctificat; quam definitionem latè explicat & defendit Alanus lib. de Sacramentis in genere. Explicatur etiam per definitionem quam tradit catechismus Pij V. Sacramentum est inuisibilis gratiae visibile signum ad nostram inuiscationem institutum, si particulam inuiscationem paulò latius sumamus. per quam definitionem significatur quòd Sacramentum sit caeremonia quaedam sacra à Deo instituta, tanquam permanens & duratura in Ecclesia, significatiua gratiae sanctificantis, & alicuius munitiei collatiua.

Qua definitio commodè probari potest ex ijs quae Scriptura, Concilia, & Patres de Sacramentis nos docent: nam ex ijs constat Sacramenta nouae legis gratiam causare, & legitime disposito conferre: vnde baptismus dicitur mundare, ad Ephes. 5; malos facere, prioris Petri 3. igitur aptè possunt dici signum inuisibilis gratiae; cum causa suum effectum possit representare. Sacramenta antiqua etiam aptè dici possunt signa gratiae, cum fuerint figurae nostrorum Sacramentorum, & gratiae per nostra Sacramenta conferendae, vt patet ex Concilio Flor. decreto de Sacramentis

Ex cuius Concilij doctrina obiter patet, falsam esse Magistri sententiam loco cit. existimantis ad rationem Sacramenti requiri vt conferat gratiam quam significat, & propterea existimantis rationem

Sacramentum non est ens vnum per se.

23.

Sacramentum definiti potest, paulò latius loquendo.

24.

Magister.

25.

Quid Sacramentum.

ex S. Tho.

Alanus.

Catech.

Pij V.

Ephes. 5.

1. Petr. 3.

Conc. Flor.

26.

Reijcitur

quaedam

Magistri

sententia.

Eriam in
antiqua le-
ge fuerunt
Sacramenta,
Florent.
Trident.

Non sunt
signa natu-
ralia gratiae,
sed ex Dei
instituto.

27.

Non quod-
libet signu
rei sacre est
Sacramentu.

28.

Sacramenta
veteris le-
gi confe-
rebant lega-
lem sancti-
tatem.

Cur manna
& transi-
tus maris rubri
non fuerint
sacramenta.

nem Sacramenti nullis caeremonialibus legis veteris conuenisse: patet, inquam, falsam esse; cum Flor. Conc. vocet Sacramenta antiquae legis, & discrimen assignet inter illa & nostra: quod confirmari potest ex Conc. Trid. sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere, ubi definitur nostra Sacramenta differre à Sacramentis antiquae legis: igitur in lege antiqua fuerunt Sacramenta, quamuis pro statu illius legis imperfectiora.

Aduerte quòd cum nulla res naturalis gratiam sanctificantem naturaliter possit representare, res quae ad esse sacramentale assumuntur non sint signa naturalia gratiae & sanctitatis, sed ex alterius institutione: cum autem nullus praeter Deum auctorem gratiae & sanctitatis possit instituere tantquam auctor principalis signa gratiae representatiua, conficitur Sacramenta tam nouae quam antiquae legis à Deo tantquam auctore primario deuiisse institui; eamque potestatem nulli creaturae posse conuenire, quanquam nihil vetet aliqualem potestatem instituendi Sacramenta creaturae communicari, de quo infra.

In definitione dicitur, *rei sacrae*, quae scilicet ipso usu per modum formae sanctificet, seu hominem Deo gratum reddat: neque enim cuiuslibet rei sacrae signum est Sacramentum, sed signum gratiae habitualis, quae homini inhaerendo eum Deo gratum reddit.

Ex quo facile patet à ratione Sacramenti excludi varia signa rememoratiua passionis Christi, resurrectionis &c. quae non sunt signa gratiae. Patet etiam excludi sacrificium ut tale, cum ut sic non sit institutum ad homines sanctificandos, sed ad Deum colendum. Patet 3. excludi varios ritus per Ecclesiam introductos, ut consecrationem templorum, benedictionem aquae lustralis, & alia, quae vocantur sacramentalia, per quae non confertur gratia sanctificans, & proinde non significatur prout debet per Sacramenta nouae legis significari.

Ex eo quòd Sacramentum sit signum rei sacrae, fit ut ipsum sit aliquomodo sacrum; immò non tantum est sacrum ratione rei significatae, sed etiam in se: non quòd ipsa res naturales quae ad esse sacramentale assumuntur, v. g. aqua, oleum, secundum suam naturalem conditionem sint sacrae, sed quòd à Deo assumptae tantquam caeremoniae ad Dei cultum & hominis sanctificationem spectantes, pertineant ad religionem tantquam caeremoniae sacrae; quòd etiam verum est de contractu matrimonij fidelium, qui licet spectatus ut procedens à sola voluntate contrahentium non transcendat limites contractus civilis, tamen prout eleuatus à Christo ad coniugum sanctificationem, est caeremonia sacra & ad religionem pertinens.

In eadem definitione ponitur, quòd Sacramentum sit institutum ad nostram iustificationem, seu munditiam, scilicet per ipsum conferendam: quae pars non tantum Sacramenta nouae legis comprehendit, sed etiam antiquae, cum illa praeter sanctificationem, qua representabant gratiam sanctificantem per Sacramenta nouae legis conferendam, aliquam sanctitatem suo usu conferrent illi cui applicabantur. conferebant enim legalem munditiam; unde variae caeremoniae legis antiquae non erant illius legis Sacramenta, quamuis gratiam per nostra Sacramenta conferendam significarent, ut manna quòd erat figura Eucharistiae & sanctitatis per illam conferenda, transitus maris rubri, qui significauit sanctitatem per nostrum baptismum conferendam, ut colligitur ex Apostolo prioris ad

Cor. 10. non erant inquam Sacramenta, quòd nullam sanctitatem legalem conferrent.

Petes cur Sacramentum non potius definiatur per rationem causae, cum ex dictis constet Sacramentum debere esse collatiuum alicuius sanctitatis?

Resp. quòd ratio signi sit in Sacramento generalior, & latius pateat quam ratio causae; cum alia qua Sacramenta necessario dicantur rationem signi respectu alicuius, cuius non sunt causa. Nam antiqua Sacramenta necessario respiciunt gratiam sanctificantem quam significant, non tamen tantquam causa ex opere operato conferunt, ita ut si tantum respicerent legalem sanctitatem, nec essent nec dicerentur Sacramenta, quamuis ergo respectu sui effectus habuerint etiam rationem causae, quia tamen respectu alicuius ad quòd dicebant ordinem, solam rationem signi obtinebant, ut satis patet ex Flor. cit. constat aptius per rationem signi, quam per rationem causae, Sacramentum definiri; quamuis ratio causae non sit omnino neglecta, ut patet ex definitione tradita à catechismo Pij V. supra.

Dices in omni Sacramento ratio causae est principalior.

Resp. neg. assumptum, cum in antiquis ratio signi videatur esse potior: nam in eo statu qui erat umbra futurorum, Dominus Deus in institutione Sacramentorum videtur potius respexisse ad gratiam per Sacramenta nouae legis conferendam, quam ad legalem illius temporis sanctitatem.

Contra allatam definitionem potest obijci, quòd ea conueniat verbis à Christo prolatis Lucae 7. *remittuntur tibi peccata*, quae tamen non erant Sacramenta. Prior pars patet, quia Christus per illa verba peccata remisit; igitur significabant gratiam & quidem per illa collatam: posterior probatur, quia haec verba ad nullum ex septem Sacramentis nouae legis pertinent, ut facile patet discurrenti. Certum etiam est non constituisse Sacramentum legis antiquae, cum Christus non instituerit caeremonias illius legis.

Resp. neg. assumptum pro priori parte: 1. quia Resp. aliquorum sententia Christus per illa verba non remisit peccata, sed solum declarauit esse remissa, ita ut quòd noster vertit in presenti, sit explicandum per praeteritum, fauentque graeca *ἀφαιρέω* ex *ἐξ ἀφαιρέω*, eaque sententia est satis conformis scripturae Christi Domini volentis ostendere Pharisaeo inuitanti multa peccata peccatrici esse remissa, eo quòd multum diligeret, id est multa eaque praeter dilectionis signa exhiberet: eum, etiam eiusdem Pharisei confessione, is sit existimandus magnam recepisse condonationem, qui multa dilectionis signa exhibet, vide Toletum in hunc locum.

2. quia licet cum aliquibus diceremus Christum per illa verba mulieri peccatrici remisisse peccata, eique gratiam contulisse, non ideo eis conueniret Sacramenti definitio: nam Sacramentum debet esse signum permanentis, seu stata caeremoniae, quae stabili quadam lege in Ecclesia usurpata soleat, & à legitimis ministris usurpata secundum communem cursum gratiam significet eamque conferat, si sit Sacramentum nouae legis: praedicta autem verba, si quam gratiam contulerint, contulerunt lege planè extraordinaria, quae in Ecclesia non perseverat secundum circumstantias quibus Christus illa usurpauit. Idem dicendum de similibus signis sensibilibus, si Christus aliquibus in Ecclesia non perseveraturis gratiam contulerit, cum Sacramenta sint communes quaedam

1. Cor. 10.

Cur Sacramentum non definiatur per rationem causae?

Resp.

29.

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

Institutione

sacrae ceremonie relictae ceteri fidelium, quæ proinde in eo ceteri debent perseverare.

D V B I V M V.

Utrum ratio Sacramenti in genere conveniat uniuocè antiquis Sacramentis & nouis?

RATIO dubitandi est, quod siue spectetur ratio signi, siue ratio causæ quæ ad Sacramentum constituendum pertinet; vetera Sacramenta non videantur posse uniuocè cum nostris convenire; cum illa gratiam habituales significarent solum mediis nostris Sacramentis, quorum erant umbra & figura; igitur ratio signi non potest illis & nostris uniuocè convenire. Consequenter probatur, quia ratio quæ uni inferiori mediante alio competit, non potest utrisque uniuocè convenire. Similiter ratio causæ non potest uniuocè convenire, cum sanctitas quam causabant antiqua Sacramenta, solum analogicè esset sanctitas comparatione illius quæ per nostra Sacramenta confertur: nam sanctitas quam adfert gratia habitualis est vera sanctitas animæ, illa verò legalis animam interioris nec renouabat, nec apud Deum sanctam reddebat, sed solum removebat quasdam legis irregularitates, vel munditiam corporis adferebat.

In hac questione duplex est sententia. Prior censet rationem Sacramenti in genere solum analogicè competere nostris & antiquis. Posterior censet convenire uniuocè ita plures recentiores.

Quæ sententia videtur probabilior; quia neutra ratio initio dubij posita obstat. non prior, quia Sacramentum in genere solum dicit rationem signi in confuso, non verò determinatè quod sit signum gratiæ præsentis vel futuræ: hanc autem rationem non minus participant vetera Sacramenta quam noua, & proinde participant rationem nomini Sacramenti respondentem, atque adeo in ratione Sacramenti uniuocè cum nostris conveniunt.

Ex quo patet responsio ad priorem rationem dubitandi. Dicimus enim quod ad rationem Sacramenti in genere non pertineat quod immediate gratiam significet, sed ab eo abstrahat: unde licet Sacramenta vetera gratiam sanctificantem mediis nostris significant, non obstat uniuocationi, cum id ex ratione specificæ antiquorum Sacramentorum oriatur.

Non obstat similiter ratio causæ, quam ad rationem Sacramenti censemus etiam esse necessariam: quamvis enim terminus seu effectus per vetera Sacramenta collatus sit analogus respectu gratiæ habitualis, non propterea ipsa causæ rationem causæ analogicè participant, cum una æquè propriè & verè suum effectum producat atque altera: nam vetera Sacramenta non minus verè & propriè erant causa sanctitatis legalis, quam nostra sunt causa gratiæ habitualis.

Conf. 1. multorum sententia ens est analogum respectu substantiæ & accidentis, & proinde substantiæ & accidentis sunt termini analogicè inter se convenientes; & tamen causa productiva accidentis (quæ communis est aliquod accidens) non participat analogicè rationem causæ, cum causa productiva substantiæ; etiam iuxta quorundam probabilè sententiam existimantium causam productivam substantiæ esse substantiam; igitur analogia terminorū & effectuum inter se non obstat uniuocationi causarum in ratione causæ, & proin-

de Sacramenta legis veteris nō sunt idcirco neganda convenire cum nostris uniuocè in ratione Sacramenti, quod termini inter se non sint uniuoci.

Conf. 2. actus quo substantia intelligitur, uniuocè participat rationem actus intelligendi cum eo quo intelligitur accidens; quamvis fortè obiecta & termini intellectionis sint analogi.

Ex his sequitur videri minus solidè ratiocinari Vasquez, qui como 2. in 3. partem disp. 128. cap. 5. docet: si ratio Sacramenti in eo sita esset quod Sacramentum esset causa alicuius sanctitatis, illud in genere tantum analogicè competiturum Sacramentis nouis & antiquis, videri inquam minus solidè ratiocinari, cum uniuocatio aliquorum in ratione communi causæ optimè possit consistere cum analogia effectuum inter se.

Ex his patet responsio ad posteriorem rationem dubitandi.

ARTICVLVS IV.

Utrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

AFFIRMAT: quia Sacramentum est signum, de cuius ratione est quod deducat in alterius notitiam; spiritualia autem non possunt hominem in alterius notitiam deducere, cum secundum naturalem modum cognoscendi nequeat res spirituales clarè cognoscere. hinc, ut optimè D. Thom. convenienter naturæ & conditioni hominis Sacramenta in quibusdam rebus sensibilibus sunt instituta, ut per sensibilia perduceretur ad intelligibilia. Quod confirmari potest ex Chrysost. hom. 83. in Matth. si tu incorporeus esses, nuda ipsa dona tradidisset tibi; quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. Sunt & alia huius rei congruentia. 1. quod faciat ad hominis humiliationem indigere rebus sensibilibus & infimis ad peccatorum remissionem, gratiam, & salutem consequendam. 2. quod homo qui à Deo recedit per corpus peccando, per res sensibiles ad eum reducat. 3. quod Sacramenta sint quedam sacrae ceremonie datæ ceteri sensibili, sc. Ecclesiæ congregatæ ex hominibus; quibus ceremoniis hic ceteri in unam religionem coadunantur; hæc autem signa debeant esse sensibilia. Videri potest D. Th. quæst. 61. art. 1. Alanus lib. de Sacramentis in genere cap. 24. qui plures congruentias congerit.

Aduerte D. Thom. per res sensibiles non solum intelligere res permanentes, sed etiam externam & sensibilem actionem.

Quæri verò hic potest, num Sacramenta ita debuerint in rebus sensibilibus institui, ut ne de potentia quidem Dei absoluta in spiritualibus institui potuerint? Varij censent non potuisse in re spirituali institui.

Quorum sententia videtur vera, si loquamur de Sacramentis institutis pro hominum congregatione, propter tertiam congruentiam supra allatam: ceterum non videtur illo modo repugnare quod minus respectu Angelorum potuerint Sacramenta institui in quibusdam rebus spiritualibus, v. g. in aliquo actu voluntatis Angeli &c. quæ res potuissent institui tanquam signa gratiæ, quam ex opere operato contulissent.

Nec obstat Aug. qui lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1. dicit signum esse rem, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud ex se facit in cogitationem veniens; quia describit signum respectu hominum, qui secundum naturalem modum operandi ex sensibilibus deducuntur ad intelligibilia.

R

ART.

35.

Resp. affir.

Chrysost. Cur Sacramenta in rebus sensibilibus instituta.

Quæst.

36.

Potuerunt Angelorū institui Sacramenta in rebus spiritualibus.

Augst.

Quid sit signum.

ARTICVLVS V.

Vtrum requirantur determinata res ad Sacramentum?

37.

Sēsus quēstionis.

QUÆSTIO hæc tribus modis potest intelligi. 1. vt queratur num supposita institutione Sacramentorum eo modo quo facta est, liceat ministro in Sacramentorum confectioe quilibet pro suo arbitrio adhibere? 2. an Deus potuerit quamlibet rem ad esse sacramentale euehere, an vero res certas & determinatas præscribere debuerit? 3. vtrum Sacramenta ita potuerint à Deo institui, vt Ecclesiæ ministris relinqueretur determinatio eorum quæ in Sacramentorum confectioe adhiberi deberent? primus sensus est à D. Tho. intentus, secundum quem

Resp. affir.

Respondet, ministrum in Sacramentorum confectioe & administratione debere vti rebus à Deo institutis, & præscriptis. Vnde vult nō posse vnumquemq; pro suo arbitrio quilibet adhibere. Probat: conuenit vt Deus Sacramentorum author eorum materiam præscriberet, nec arbitrio cuiusque ministri relinqueret id in quo ratio Sacramenti inueniretur; & Ecclesia satis declarata factum.

Determinata est à Deo materia Sacramentorum.

38.

Conf. 1. Sacramenta sunt instrumenta sanctificationis; conformiter autem naturis rerum instrumenta sanctificationis ab ipso sanctitatis autore præscribuntur; igitur congruum fuit vt Deus determinaret res, quarum vsu in Sacramentis sanctificamur, & proinde non est in hominis potestate alias adhibere; cum non possit ab illo præscripto recedere. Conf. 2. materia & forma Sacramentorum gratiam neque significant ex natura sua, neque causant, sed ex diuino beneplacito; igitur ex eiusdem institutione debent præscribi res ad Sacramenti confectioem necessarie.

Determinata est in quibusdā quoad speciem, in alijs quoad genus tantum.

Aduerte 1. non esse eundem determinationis modum in singulis Sacramentis, sed varium; & in vno quidem Sacramento res esse quoad speciem determinatas, v. g. in baptismo materia est vna specie, sc. aqua naturalis; in alio verò solum quoad genus, vt in matrimonio signa consensus expressiua, per quæ aliquis se tradat compari, possunt esse varia & inter se maximè distincta, dummodo in hoc conueniant quòd sui traditionem sufficienter exprimant. Quod ergo dicitur, ministrum debere vti rebus determinatis in Sacramentorum confectioe, intelligitur de determinatione in genere vel specie, iuxta modum à Deo præscriptum.

39.

Per res autem determinatas non solum intelliguntur res permanentes seu sensibiles substantiæ, aqua, oleum &c. sed etiam actiones, vt ablutio, signatio, vñctio, & alia, quæ ex Dei institutione ad rationem Sacramenti requiruntur, quæ in singulis Sacramentis habent peculiarem determinationis modum suis locis explicandum.

Etiam vera est resolutio in Sacramentis veteris legis.

Aduerte 2. quamuis D. Th. suam resolutionem de Sacramentis legis nouę potissimum videatur intelligere, eam tamen posse etiam intelligi de Sacramentis legis veteris; quorum ritus fuerunt à Deo præscripti; vt patet ex Leuitico. Ratio est, quòd Sacramenta vetera significarent gratiam per Sacramenta nouę legis conferendam, quam significationem, neque ex natura sua habebant, neque à creatura propriā autoritate fortiri poterant; vnde congruum fuit in ea lege præscribi ab autore gratiæ signa huius gratiæ significatiua.

40.

Questiō in 2. sensu intellectæ Respondeo,

Deum nullo modo fuisse necessitatum ad res determinatas ad esse sacramentale euehendas, etiam suppositā voluntate Sacramenta instituendi; quamuis enim res aliquæ maiorem habeant analogiam & proportionem cum effectu aliquorum Sacramentorum quàm aliæ, v. g. aqua aptius repræsentet spirituales animæ abluitionem quæ fit in baptismo, quàm oleum; & hoc aptius significet spirituale animi robur, quod per confirmationem confertur, quàm aqua; nihilominus cum ex Dei voluntate pendeat, quòd hæc vel illa gratiam significant vel causarent, potuit pro suo beneplacito Sacramentum in qualibet re institui: v. g. potuit quilibet saltem sensibile præscribere pro materia Sacramenti regenerationis.

Potuit Deus pro beneplacito rem quamlibet ad id assumere.

Neque huic doctrinæ repugnat D. Th. responsio ad 1. vel quia iuxta veriorum aliquorum sententiam in ea responsione solum vult quod docuerat in corpore, sc. res Sacramentorum ita à Deo esse determinatas, vt non possint ab homine mutari, quod satis patet textum consideranti; vel, si cum alijs dicamus D. Thom. in dicta responsione velle Deum debuisse res determinatas assumere in Sacramentorum institutione, dicendum eum nolle non potuisse, etiam de potentia absoluta, aliter fieri; sed conformiter suarum rerum dispositioni aptè debuisse assumi ad esse sacramentale res, quæ cum Sacramentorum effectu habent analogiam.

Neque repugnat Thom.

Obijci potest, quod Aug. epist. 23. versus finem dicat. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent; ergo vt aliquid sit Sacramentum, debet etiam ante institutionem aliquam habere analogiam cum effectu ad quem significandum, vel etiam causandum à Deo assumitur, & proinde Deus suppositā voluntate instituendi Sacramenta, debet ea instituere in materia determinata naturalem cum re significata analogiam habente.

Obiectio Aug.

41.

Resp. neg. priorem conseq. & dico Aug. in sententia citata longè aliud velle, sc. Sacramenta interdum vocari eodem nomine cum eo cuius dicuntur Sacramenta, sc. propter similitudinem cum ipso. Cum enim Bonifacius quæsisset, cur quando baptizatur infans, petenti an credat, respondeatur, credit: respondet Aug. quia suscipit baptismum, qui est fidei Sacramentum, & proinde propter similitudinem quam habet cum fide, fides dici potest; quam denominationem non posset fortiri si cum fide non haberet similitudinem: hoc solum vult Aug. Ex quo minime sequitur Sacramenta non potuisse à Deo institui in rebus non habentibus analogiam cum effectu ad quem assumuntur.

Resp. Explicatur Aug.

42.

Questiō in 3. sensu intellectæ, Resp. Deum ita potuisse Sacramenta instituere, vt materiam relinqueret ministris Ecclesiæ determinandam. Patet quia in quibusdā Sacramentis videtur reliquisse ministris determinationem quoad modum specificum; igitur etiam relinqui potuit quoad genus, ita vt ex diuina institutione & voluntate ea res ad esse sacramentale eueheretur, quam idoneus Ecclesiæ minister pro suo arbitrio assumeret. Confir. Deus modum benedictionis materiæ quorundam Sacramentorum reliquit dispositioni Ecclesiæ, ita vt Ecclesia pro suo arbitrio hunc modum mutare possit. quidni ergo & ipsa materia eiusdem Ecclesiæ vel ministrorum arbitrio relinqui potuit? quamuis autem id ita fieri poterit, conuenientius tamen aliter factum est, vt ex dictis patet.

Potuit etiam Sacramentorum materiam relictam ministris determinandam.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrum in significatione Sacramentorum requirantur verba?

AFFIRMAT. Conclusio intelligitur de Sacramentis nouæ legis; cuius tres in corpore assignantur congruentia.

1. Sacramentorum author est Verbum, & proinde nostra Sacramenta verbis constantia optimè representant suum authorem, qui miracula & opera supernaturalia verbo perfecit. 2. Sacramenta sunt instituta pro homine tanquam salutare medicinæ spirituales, quas medicinas homo constans animâ optimè potest intelligere, dum verbo proferuntur. 3. Sacramenta sunt signa sanctificationis, verba autem inter signa principatum tenent, vt tradit Aug. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 3.

Hic addi potest. 4. congruentia, quod videlicet verba optimè declarent in quem finem res sensibiles sint assumptæ, & ad quem effectum; v. g. quod aqua in baptismo assumpta sit ad mundandum, non verò ad refrigerandum &c. & ita de alijs. Vnde Christus pro Sacramentorum confectione conuenienter verba instituit, quæ suâ significatione in determinationem rerum assumptarum determinent & nobis declarent ad quid assumantur.

Ex his duobus articulis patet, in confectione Sacramentorum nouæ legis requiri res & verba, vt etiam tradit Conc. Flor. in decreto de Sacramentis. vbi tamen

Notandum non requiri in omnibus Sacramentis essentialiter verba propriè & strictè suprà, cum matrimonium etiam in ratione Sacramenti iuxta communem sententiam perfici possit absque verbis propriè dictis; omni videlicet signo, quo legitimus consensus potest exprimi, eò quod Christus Dominus contractum matrimonialem civilem eleuans ad esse Sacramenti ad eius essentiam id solum requisierit, quod necessariū est ad legitimum contractum. Vnde quātum est ex institutione Christi, ad Sacramentum matrimonij non requiritur aliud ex parte consensus, quā quod pro varietate pronuntiarum &c. necessarium est ad legitimum consensum, & proinde ad illud non requiruntur verba propriè dicta, sed sufficiunt æquivalentia.

Confir. quia quod Flor. dixerat Sacramenta perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, vbi agit de Sacramento matrimonij, seipsum quasi explicans dicit, *causa efficiens matrimonij* (id est vinculi matrimonialis) regulariter est *mutuus consensus* per verba de presenti expressus; per quam particulam, regulariter, satis declarat ad rationem Sacramenti etiam nouæ legis, non requiri verba propriè dicta, sed sufficere æquivalentia, quamuis in alijs Sacramentis præter matrimonium semper inueniantur verba propriè dicta.

Notandum 2. non semper in Sacramento requiri res sensibiles distinctas à verbis propriè sumptis: nam matrimonium iniri potest per verba, ita vt nullum aliud sensibile signum in eo contractu intercedat. Similiter in Sacramento poenitentiae non requiritur aliud sensibile præter verba.

Dixi res sensibiles &c. quia etiam in his Sacramentis requiritur aliquid aliud præter verba: in matrimonio quidē interior consensus, qui innotescit per signa externa, quique requiritur vt eadē signa externa sint signa practica cōsensus: in poenitentia verò requiritur internus dolor, qui per externam

confessionem reddatur sensibilis, quique eandem confessionem consecretur informare, vt ea sit sacramentalis; & proinde bene traditum est à Flor. omnia Sacramenta perfici rebus, etiam prout res à verbis distinguuntur.

Ex quibus patet frustra Durandum in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 2. negare in Sacramentis omnibus notatæ legis inueniri rem, cum Flor. id doceat.

Quod si urgeat non semper inueniri res sensibiles à verbis distinctas, Resp. id nec contra Flor. nec contra communem Doctorum sententiam facere, cum non velint in omni Sacramento necessariò inueniri signa sensibilia à verbis distincta, sed quod Sacramenta perficiantur rebus (rem latè sumendo etiam pro actione) quæ saltem reddantur sensibiles per aliud: quod etiam conuenit dolori parti poenitentiae, qui redditur sensibilis per confessionem, & consensus in matrimonio, qui per signa externa innotescit.

Quæri posset vtrum in Sacramentis legis veteris verba fuerint necessaria.

Resp. non videri, vt communiter Doctores; & videtur insinuare D. Th. resp. ad 3. si cum ipso argumento conferatur. Cuius rei variè solent assignari congruentia. 1. quod status legis veteris esset imperfectus, similiterque Sacramenta illi statui proportionata essent imperfecta, imperfecte representantia Christum gratiæ authorem eiusque passionem; vnde decuerit illa in rebus mutis & signis minus perfectis institui: cum è contra decuerit nostra Sacramenta, vt pote representantia Christi passionem iam exhibitam, institui in signis perfectioribus. 2. quod decuerit in noua lege esse signa sanctificationis perfectiora, & perfectiores ritus Deum colendi. 3. quod Sacramenta vetera essent figuræ nostrorum, quæ proinde in signis imperfectioribus conuenienter institui debuerint.

Nec obstat quod Leuit. 4. in sacrificio pro peccato populi præscribatur vt oret sacerdos; quia verisimile est eiusmodi verba non fuisse de substantia Sacramenti, sed solum coniuncta Sacramento ad Deum colendum; quod aliquo modo potest ostendi ex eo quod nulla orationis forma præscribatur, sed sacerdotis arbitrio relinquatur.

D V B I V M I.

Vtrum Sacramenta perficiantur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma?

VIDE TVR quod non: quia res & verba sunt planè diuersi generis, quæ nullo modo videntur posse coire ad vnum conslandum. 2. forma solè inesse materiæ, verbum autem seu sonus articulatus nullo modo inest rei, quæ simul cum verbo concurrat ad Sacramentum: nam verba in baptismo v. g. *ego te baptizo &c.* non insunt aque sed aëri.

Confir. 1. verba concurrunt ad Sacramentum, quamuis pronuntientur paulò antè quā materia v. g. aqua applicetur; quo casu non possunt fortiri rationem formæ, cum id quod præiacet, rationem formæ non sortiatur. Confir. 2. verba interdum proferri possunt etiam aliquanto tempore postquam desijt esse id quod dicitur materia, vt patet in Sacramento poenitentiae, in quo dari potest absolutio etiam aliquanto tempore post confessionem, & postquam desijt dolor: eo autem casu verba non possunt dici forma, cum non possint informare id quod præterijt.

3. Tam res quam verba potius sunt materia, cum forma Sacramenti sit significatio illa supernaturalis, quam sortiuntur ex Christi institutione: non enim sola res, sed etiam verba cum sua significatione quam habent ex hominum instituto, assumuntur à Deo ad ulteriorem significationem, quæ proinde significatio potest dici forma etiam verborum prout esse sacramentale sortiuntur. Probatur: significatio est & dici potest forma constituens rem in ratione signi. his tamen non obstantibus

48. Resolutio affirmans. Conc. Flor. August. Accedit verbum ad elementum, & sit Sacramentum.

Dicendum Sacramenta perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Ita Conc. Flor. Confirmari potest ex Aug. tract. 80. in Ioannem. *accedit verbum ad elementum & sit Sacramentum item: unde ista tanta virtus aquæ & corporis tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo &c.* quibus verbis, *accedit, faciente*, satis insinuat verba illa, *ego te baptizo &c.* in Sacramento Baptismi respectu aquæ se habere per modum formæ: cum sicut forma accedit materiæ ad eius indeterminationem determinandam & complendam, ita verbum accedat aquæ ad complendam eius analogicam similitudinem per suam significationem magis determinatam, ut ex dictis patet; & proinde verba optime sortiuntur rationem formæ: cum etiam sicut vis naturalis in entibus physicis oritur à forma, ita vis Sacramenti precipue oriatur à verbis sacramentalibus.

Obiter notandum quod licet prius dictum August. à plerisque doctoribus intelligatur & explicetur de omnibus Sacramentis, Aug. tamen de solo baptismo illud accipiat, accipiatque elementum strictè, non vero late pro omni eo quod sensu percipi potest: quod satis patet ex discursu, & scopo eiusdè, similiter ex posteriori eius dicto, quod enim prius vocauerat elementum, postea vocat aquam.

49. Verba habent rationem formæ, quia sunt magis determinata significationis.

Conclusio etiam patet ex analogia Sacramenti ad corpus physicum, quæ in explicatione Aug. est insinuata: quod sc. quemadmodum in composito physico id dicitur forma, quod alteri accedit illius potentialitatem complens, & determinans indeterminationem: ita in Sacramentis verba aptè dicantur forma respectu rei, cum ratione significationis suæ magis determinata quam habent ex hominum instituto, determinent rem cuius significatio est minus determinata. Et ita passim loquuntur authores; immo & Ecclesia, quæ censet formam baptismi esse hæc verba, *ego te baptizo &c.* formam confirmationis, *consigno te &c.*

Significatio sacramentalis, est forma totalis ipsius Sacramenti.

Dixi, verba sortiri rationem formæ respectu rei, ut enim patet ex dictis, & ex 3. argumento respectu significationis, quam tam res, quam verba sortiuntur ex diuina institutione, per quam euecta sunt ad aliquid sacrum significandum, seu ut consent vnum signum sacrum, se habent per modum subiecti & materiæ. Nam significatio sacramentalis non solum fundatur in re eamque censetur afficere, sed etiam in verbis; ita ut res simul & verba assumpta sint ad vnum signum constituendum, cuius forma sit ipsa significatio, quæ potest dici forma totalis ipsius Sacramenti: nihilominus si res & verba inter se conferantur, verba respectu rei aptè dicuntur forma, atque adeo forma physica Sacramenti. vbi

50.

Notandum quando res dicitur materia, & verba dicuntur forma, ea non nudè spectari, ut supra est insinuat, sed rem sumi cum similitudine analogica naturali quam habet cum effectu Sacramenti, verba autem cum significatione ex instituto. v. g. hæc verba *ego te baptizo &c.* non dicuntur forma prout sunt nudus sonus articulatus, sed prout etiam ex hominum instituto significant lotionem,

ratione quantum analogiæ & significationis assumuntur ut significant rem sacram, ita ut etiam significatio ex instituto sit quasi materiale respectu ulterioris significationis. Cum verò significatio verborum sit magis expressa & determinata respectu rerum, verba dicuntur forma, & significatio sacramentalis precipue ab illis petitur, & in illis refidet, quamuis, ut optime notat. Caiet. circa responsionem ad 2. neutrum seorsim sumptum hanc habeat significationem, vel virtutem sacramentalem, sed si sibi inuicem coniungantur, nam significatio sacramentalis est vna & simplex, quamuis in rebus & verbis fundetur: quemadmodum est vna simplex significatio ex hominum instituto in integra oratione, quæ non est in vlla syllaba aut dictione seorsim sumpta, sed immediate in tota oratione. Quod etiam cerni potest in alijs rationibus signi, quæ interdum in pluribus rebus fundantur, in quibus seorsim sumptis ipsa ratio signi non inuenitur, neque seorsim sumptæ ingenerant conceptum rei significatæ, etiā partialiter & imperfectè, sed tum demum quando coniuncte sumuntur.

Neque contra hanc explicationem vrgent quæ adfert Bell. lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 18. Caiet. circa 3. propositionem. Nam Caiet. non vult negare verbis competere suam significationem quam habent ex hominum instituto, sed hanc sacramentalem, quam vult immediatè competere conflato ex rebus & verbis, neutri autem parti seorsim sumptæ modo à nobis explicato.

Petes utrum Sacramenta ita perficiantur rebus & verbis, ut ijs essentialiter consent?

Resp. 1. Sacramenta quæ in usu seu actione consistunt, constare rebus & verbis essentialiter: quia utrumque essentialiter requiritur ad esse sacramentale, & in illis iunctis significatio rei sacram fundatur, ut patet in baptismo ad cuius rationem essentialem non sola ablutio aquæ, vel sola verborum prolatio pertinet, sed utrumque.

Nec refert quod aliqua Sacramenta denominationem sortiantur à rebus, ut quod baptismus vocetur ablutio; alia vocentur à verbis, ut penitentia, quæ interdum vocatur absolutio, id inquam non sufficit ut dicamus verba & res non pertinere ad intrinsecam rationem similitudinis Sacramentorum, quia huiusmodi denominationes sumi possunt ab vna parte, in quâ expressa subintelligitur alia.

Resp. 2. verba quibus perficitur Sacramentum Eucharistiæ non sunt de intrinseca eius ratione, tanquam aliquid intrinsecè illud constituens; quia certum est hoc Sacramentum consistere in aliquo extra actionem consecrationis: quamuis ergo verba requirantur ut Sacramentum fiat, non tamen se habent ut forma intrinsecè illud constituens, sed ad illud comparantur tanquam principium effectuum: similiter panis & vinum, ex quibus hoc Sacramentum conficitur, illud non constituunt, sed se habent respectu illius ut materia transiens.

Ad 1. argumentum initio propositum respondeatur ex D. Th. ad 2. quamuis, quantum ad naturam rei spectat, res & verba sint in diuerso genere, in ratione tamen significandi posse in vnum conuenire; quæ ratio cum principalis à verbis petatur, illare spectu rerum rationem formæ possunt obtinere.

Ad 2. respondeo inexistentiam propriam & physicam solum requiri in forma physica respectu materiæ (excipio animam rationalem quæ materiæ non inexistit) quoad cum illa compositum physicum constituit; in alijs verò vt duo censentur coire, & in vnum in suo genere conflare, atque adeo vnum respectu

Vulgaris significatio verborum est quasi materiale significationis.

Caiet.

Defendit

Caiet.

51.

Quasi.

Res & verba sunt de essentiis Sacramentorum quæ in usu consistunt.

Non item, Eucharistia.

52.

Ad argumentum 1. respondetur.

specu

specu alterius dicatur forma, non requiritur inexistencia, vel etiam vno physica illorum inter se; vt quando duo ex alterius institutione assumuntur ad significandum; sed sufficit vt eum modum vnionis sortiantur, quem determinat instituentis, potestque vnum respectu alterius se habere per modum forme, si illius potentialitatem censeatur determinare. Qualis coexistencia materie & forme requiratur vt sibi mutuo censeantur vniri, seque efficere, commodius in singulis Sacramentis explicabitur: quia id peti debet ex rationibus particularibus Sacramentorum & ex ipsa ratione forme.

Ad priorem confirm. resp. licet requiratur vt materia physica preiaceat (salte secundum ordinem nature) forme, id non requiritur in eo quod dicitur materia per analogiam ad materiam physicam, sed sufficere vt quando suo modo vniantur, sese habeat respectu alterius tanquam determinabile ad determinatum: possunt autem in suo genere vniri, licet prolatio verborum non nihil tempore precedat. Nam hac oratio, *ego te baptizo &c.* morali hominum iudicio potest censeri vera, quamuis non nihil precedat lotionem, & proinde potest censeri illi secundum rei exigentiam coniungi, & determinare indeterminatione applicationis aque, & per consequens respectu illius subire ratione forme.

Ad 2. confirmationem similiter respondeo distantiam temporis non impedire, quod minus verba absolutio possint fortiri rationem forme respectu precedentis contritionis & confessionis, quae actu non perseueret: quia possunt nihilominus moraliter illa respicere, moraliter illis coniungi, & ea determinare: prout in iudicio absolutio vel condemnatio etiam tempore subsequens, censetur moraliter vniri accusationi, testium depositioni, & per ordinem ad illa fieri.

Ad 3. patet solutio ex dictis, quod scilicet quamuis significatio ex Dei institutione, ad quam assumuntur res & verba, dicatur forma totalis, respectu cuius etiam verba se habeant vt materia, non obstat quod minus vna pars physica Sacramenti respectu alterius rationem forme fortiri possit.

D V B I V M II.

Qualia verba ad Sacramentorum confectionem requirantur?

HERETICI huius temporis requirunt verba concionatoria, quibus populo rudi diuinae promissiones proponantur, & explicentur: immo Caluinus ita concionem requirit, vt videatur sentire eam esse necessariam ad rationem ipsius Sacramenti, & sufficere. Nam licet alibi aliter videatur sentire, l. 4. institut. cap. 4. §. 4. ait, atque hoc est quod vniuerso dicunt constare Sacramentum verbo & externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu & fide insusurrantium solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat, sed quod predicatum intelligere nos faciat quid visibile signum sit. Quo loco declarat se ad rationem Sacramenti requirere verbum concionatorium, cum illud opponat verbo quod dicit sine sensu insusurrari. Quod ex eo etiam potest confirmari quod Caluinus dictum Aug. accedit verbum ad elementum & si Sacramentum, explicet de verbo concionatorios cum tamen Aug. agat de verbo necessario ad Sacramenti confectionem: dicit enim, detrabe verbum, quid est aqua nisi aqua?

Alij requirunt quidem concionem vt Sacramentum vtiliter percipiatur, non tamen videntur

exigere tanquam ad rationem Sacramenti necessariam. Vnde magna est inter eos dissensio de Sacramento Eucharistiae: nam, vt refert Bell. lib. 1. de Sacramentis cap. 19. aliqui nullum aliud verbum adhibent preterquam instructionis, recitantes tantum verba Apostoli 1. ad Cor. 11. huc spectantia, quae concionator explicat, deinde absque vlla caeremonia panem & vinum distribuentes; alij verba institutionis merè historice recitant, alij cum intentione consecrandi.

Dico 1. ad essentiam Sacramenti non requiruntur verba concionatoria. Est de fide, constatque ex perpetuo Ecclesiae vsu.

Probatur peculiariter contra haereticos; non potest vilo modo ostendi ex verbo Dei scripto huiusmodi verba requiri; igitur iuxta illos dicendum non requiri, cum in re sacramentaria iuxta sua principia nihil debeant censere necessarium, quod in scripto Dei verbo non praescribitur. 2. scriptura potius ostendit contrarium. nam Matth. ultimo docet vt baptizemus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, quae verba non sunt concionatoria.

Dices, ex hoc loco non haberi formam baptismi esse verba citata. Nam Domini sententia potest intelligi, vt baptizemus in nomine Patris, i. autoritate Patris, quauis praedicta verba non vsurpemus.

Sed contra facit, quod iuxta illam explicationem nulla haereticis relinquantur solida ratio requirendi verbum ad rationem Sacramenti: si enim ex loco citato non aptè ostendatur praedicta verba requiri, non potest ostendi vlla esse necessaria; igitur nullum habent fundamentum asserendi verba ad rationem Sacramenti & eius confectionem necessario requiri.

Dices id ex perpetuo Ecclesiae vsu constare.

Resp. iuxta haereticos non posse inde solidum peti argumentum; vel si concedant vsum Ecclesiae probare verba esse necessaria, iam contra sua principia tenentur traditiones admittere: immo tenentur admittere non requiri verba concionatoria, cum perpetuus Ecclesiae vsus etiam fatente Caluino loco à nobis cit. doceat ea non requiri. 3. tenentur admittere quod verba à nobis relata, ex sensu & vsu Ecclesiae requirantur. Dicimus ergo ex praedicto loco Matth. iuxta communem Ecclesiae sensum intellecto haberi, in confectione baptismi verba requiri, eaque non esse concionatoria: quae Ecclesiae sensum, velint nolint, debent haeretici admittere, si velint efficaciter probare requiri verba in Sacramentis.

Dices ex cap. 5. ad Eph. haberi verba esse necessaria, mundas (sc. Ecclesiam) lauacro aquae in verbo vti a.

Resp. 1. neque hinc posse concludi verbum esse necessarium ad Sacramenti confectionem, si secludamus sensum Ecclesiae illa verba interpretantis, quia particulam in verbo vti a possemus aliter intelligere.

Resp. 2. nullo modo hinc haberi, requiri & sufficere verba concionatoria, quia per verbum vitae non intelligitur concio, sed sanctissimae Trinitatis inuocatio, per consuetam formam Ecclesiae.

Probatur 3. conclusio ex Patribus. Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 15. tribus personis ac totidem inuocationibus magnum baptismatis mysterium peragitur. Cyril. catechesi. 3. aqua simplex per Spiritum sanctum Christi & Patris inuocationem accepta virtute sanctitatem consequitur. Ambr. lib. 2. de Sacramentis cap. 5. venit sacerdos, precem dicit ad fontem inuocans Patris nomen, praesentiam Filij, & Spiritus sancti vtiur verbis celestibus: celestia verba quae sunt? quod baptizemus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hi & innumeri alij Patres nunquam meminerunt concionis, quae pro forma Sacramenti adhibeatur, sed

55.

Conclusio 1. Ad essentiam Sacramenti non requiruntur verba concionatoria. Prob. 1.

Matth. ult.

Replica soluitur.

Occurritur instantiae Ephel. 5.

56.

Prob. 2. ex Basil. Cyril. Ambros.

inuocationis, verborum celestium &c. quæ scilicet Ecclesia à Christo est edocta: quos omnes redarguere erroris, summa est insipientia, & impudētia.

Confirm.

Confirm. Patres initio Ecclesiæ magna diligentia formas sacramentorum mysteriorum celabant, ne ab ethnicis deriderentur; ergo signum est eas non fuisse concionatorias, cum non fuisset ratio celandi, & irrisionis: neque formæ dici potuissent certæ & inuariatæ, ut PP. videntur insinuare. Videri potest Dion. Areopagita, qui ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 1. admonet Timotheum ne sancta sanctorum enuntiet, neque minus perfectis ea tradat. & cap. vlt. ait efficientes consecrationis preces fas non est scripto interpretari, neque eorum arcanum. & Innoc. 1. epist. 1. cap. 3. de Sacramento Confirmationis agens, dicit, *verba verò dicere non possum* (agit de ijs quibus Sacramentum conficitur) *ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

Dionys.

Innocent. x.

57.

Prob. 3. ab absurdo.

Probatur 3. si ad rationem sacramenti requirentur verba concionatoria, Ecclesia per mille quingentos annos versata fuisset in errore intolerabili; quia vsque ad Caluinum inauditum fuit in Ecclesia quoddam forma Sacramentorum consisteret in concione, nec Ecclesia in Sacramentorum confectione vnquam adhibuit concionem tanquam formā: hic autem error infinitis fuisset perniciosus.

Confirm. baptisimus in Ecclesia passim confertur infantibus qui sunt incapaces percipiende concionis; item in Ecclesia latina passim confertur idiomate latino, qui à plebeis non intelligitur: dici verò nequit Christū Ecclesiam in tam diuturno errore reliquisse, cum ingēti animarum damno; estque alienum à diuina providentia quod Christus Ecclesiæ reliquerit Sacramenta, ex eiusdem institutione requirentia certos ritus ad sui valorem, & eos Ecclesiam non docuerit; vel si docuerit, permiserit statim illos ab eadem ignorari vel negligi cum maximo animarum detrimento, quandoquidem inde sequitur baptismum in Ecclesia nunquam validè fuisse collatum. Confirm. Ecclesia non errat in materia baptismi vel Eucharistiæ; ergo dicendum non est eam errare in eorumdem forma, cum non sit minus columna & firmamentum veritatis respectu vnius, quam alterius.

58.

Prob. 4. Caluinistæ non rebaptizant baptizatos in Ecclesia Catholica.

Probatur 4. Caluinus non inbet baptizatos in Ecclesia Catholica rebaptizari, cum ad eius sectam transeunt; cum tamen Ecclesia pro forma baptismi non requirat vel adhibeat concionem; ergo vel non procedit conformiter suis principijs, vel dicendum eodem tacite fatente non requiri concionem pro forma sacramenti.

2. Caluiniani baptizant infantes, qui tamen concionem nequeunt percipere; igitur vel debent dicere concionem ad confectionem sacramenti non requiri, vel imprudenter immo & sacrilegè eam adhibent, quia imprudenter adhibetur illi qui cognoscitur eam nullo modo posse percipere, prout etiam iuxta Caluinum, infantes percipere nequeunt, quibus non concedit miraculosè rationis vsum. Similiter sacrilegè adhibetur forma Sacramenti ei in quo rationem formæ sortiri non potest; non potest autem in paruulo qui vni concionis nequit percipere, nec potest per eam excitari ad concipiendam fidem de diuinis promissionibus. Idem argumentum fieri potest de surdo, perpetuo amate, & ijs qui cum antea Sacramentum petierunt, illud in fine vitæ sine sensu percipiunt.

Caluini responsio excluditur.

Caluinus lib. cit. cap. 16. §. 20. dicit, paruulos non recipere quidem Sacramentum vtiliter pro eo tempore, recipere tamē Sacramentum vtile futurum.

Sed contrā facit quoddam iuxta illius principia defectum forma, ut ostensum est; ergo iuxta illius dogma absolute dicendum non recipere Sacramentum. Adde quod concio non intellecta non possit dici esse vtilis temporis successu. Adde etiam multos paruulos baptizatos ex hac vita discedere antequam ad rationis vsum perueniant.

3. Ex iisdem principijs forma Sacramenti non posset super plebeis alia lingua quam vernacula proferri. 4. ex iisdem sequitur mulierem communiter non posse validè baptizare, cum communiter concionari nequeat: id autem repugnat principijs aliorum hæreticorum de ministris Sacramentorum; de quo infra.

59.

Dico 2. neque requiritur concio ad fructum Sacramenti recipiendum. Fatentur quidem Catholici antequam adulti baptizentur requiri ut sufficienter instruantur in ijs quæ ad fidem pertinent, & non nisi præmissa tali instructione posse baptizari, iuxta illud Matth. vlt. *docete omnes gentes* &c. Sacramentum quod de adultis intelligitur, sed non volunt hanc instructionē esse de diuinis promissionibus, quod scilicet homini remissa sint peccata, & de prædestinatione, ad quarum rerum persuasionem homo excitetur, ut volunt hæretici; neque volunt instructionem seu concionem necessariò coniungi Sacramentum ad fructum illius percipiendum, sed tantum volunt baptismum præmittendam instructionem aliquorum mysteriorum, quorum fides exigatur ut adulti possint iustificari: quo tamen non obstante dicunt Sacramentum v. g. baptismi vtiliter & cum fructu ab aliquo recipi posse, sine præiuncta concione.

Quod patet ex baptismi paruulorum, qui non possunt dici priuari fructu Sacramenti, quia de fide est paruulos baptizatos morietes recipi in regnum celorum, & Deum videre, ut suo loco ostendetur; quod consequi non possunt, nisi peccatum originale per baptismum in illis tollatur, & gratiam sanctificantem consequantur. Confirm. si paruuli non possent fructum Sacramenti recipere, non posset absque sacrilegio Sacramentum eis conferri, utpote incapacibus effectus eiusdem.

60.

Contra priorem conclusionem obijciunt 1. quod Matth. vlt. dicatur *docete omnes gentes baptizantes eos* &c.

Obiectio 1. contrari. conclus. Matth. vlt.

Resp. ut suprà id minimè Caluino, vel etiam Lutheranis fauere: Christus enim tantum vult adultos instruendos esse de fidei mysterijs antequam baptizentur, non autem vult concionem vel esse Sacramenti formam, vel Sacramento necessariò coniungendam ad fructum illius percipiendum.

Obijciunt 2. quod dictum ad Ephes. 5. *mundans lauacro aquæ in verbo vitæ* Hier. in eum locum explicet de doctrina. atqui per verbum vitæ designatur forma Sacramenti; igitur iuxta Hier. forma Sacramenti debet continere doctrinam seu verbum doctrinale.

Obiectio 2. Ephes. 5. Hieron.

Resp. negando conf. quia Hier. non explicat prædictum locum secundum sensum litteralem, sed secundum mysticum, seu ut ipse dicit tropologicè: non enim per lauacrum intelligit baptismum quem censet conferri verbo doctrinali, sed intelligit quamlibet purgationem, quæ per doctrinam fieri potest, scilicet si iuxta sanam doctrinam auditam mores componantur, & vita emendetur.

61.

Obijciunt 3. Aug. tract. 80. in Ioannem dicens, *unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor augetur, nisi faciente verbo; non quia dicitur sed quia creditur? nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei quod prædicatur*

Obiectio 3. Aug.

mus,

mens, ait Apost. &c. igitur forma Sacramenti est concio per quam ad fidem excitetur.

Resp. 1. quid de forma Sacramenti baptismi sentiat Aug. & quod non existimauerit esse concionem, sed verba consecratoria, satis constat ex l. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 15. ubi dicit: *Quamobrem si Evangelicus verbis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.* hæc enim verba inuocationem & consecrationem continent, non verò concionem. 2. ex prædicto loco in Ioan. ubi censet per ipsum verbum accedens ad elementum mundari infantem, quamuis nondum valeat corde credere ad iustitiam (vt ibi Aug.) nec valeat concionem percipere.

Resp. 2. neg. conseq. nam August. solum vult verbum non mundare ratione soni transeuntis; quod vt probet de verbo concionis, id etiam asserit de verbo sacramentali, pro quo

Notandum quod August. id asserat explicans illud Ioan. 15. *Tam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* & declarat verbo eam vim non competere, propter sonum transeuntem, v. g. concionem non mundare propter externum sonum, sed ratione fidei, quam in audiente excitat; (eo scilicet modo quo nostra iustificatio fidei tribuitur, quia nimirum fides est initium & radix nostre iustificationis) quam efficaciam verbi vt ostendat, etiam declarat in verbo sacramentali, quod mundat, non ratione soni materialis, sed ratione virtutis latentis, quæ virtus nobis innotescit per fidem: hoc sensu dicit August. verbum mundare, non quia dicitur, sed quia creditur; non quod verbum sacramentale fidem in ministro vel etiam necessarii in suscipiente requirat, sed quia nec aquæ nec verborum virtutem in baptismo aliter cognoscimus, quam per fidem, atque adeo licet verbum sacramentale & concionatorium alio atque alio modo speciali mundent, bene tamen potest dici neutrum mundare propter materialem sonum, sed quia creditur: quia in concione credentes iis quæ à concionatore proponuntur, mundantur (eo modo quo fidei iustificatio tribui potest) & proinde concio dicitur mundare ratione fidei, ad quam excitat: Sacramentis autem vim iustificandi inesse per fidem cognoscitur. Vnde ex eo quod August. loco citato dicat in baptismo aquam cor ablueri accedente verbo non quia dicitur sed quia creditur, nullo modo sequitur illud verbum esse concionatorium, seu formam Sacramenti esse concionem.

Ex dictis sequitur verba quibus Sacramentum conficitur esse consecratoria: quod docent Patres cit. & plures alij & constans Ecclesiæ sensus.

ARTICVLVS VII.

Utrum requirantur determinata verba in Sacramentis?

AFFIRMAT. Probat ex eo quod in Sacramentis requirantur determinata res sensibiles, quæ se habent sicut materia; igitur multò magis requiratur determinata verborum forma, cum determinatio ex parte formæ potissimum sumatur.

Conf. in Sacramentis præcipua vis significandi residet in forma, quæ consulam rerum sensibilibus significationem determinat ad finem cuiusque Sacramenti, vt dictum est; igitur congruum fuit verbum in quibus forma sacramentorum constituitur esse determinata. vbi

Aduerte 1. doctrinam articuli intelligi de Sacramentis nouæ legis, cum supra dixerimus in Sacramentis legis antiquæ nulla verborum forma opus fuisse, etiam iuxta D. Thom. sententiam.

Aduerte 2. doctrinam eiusdem articuli posse intelligi eo sensu, quo intellecta est doctrina articuli 5. quod videlicet minister in consecratione Sacramentorum determinatâ verborum formâ vt debeat, non verò possit pro suo arbitrio formam à Christo præscriptam relinquere, & aliam usurpare. 2. posse etiam intelligi quod congruum fuerit certam verborum formam à Christo Domino institui; quod satis suadet ratio D. Tho. quamuis nihil obstat quod minùs Deus Sacramenta nouæ legis in solis rebus sine verbis instituere potuerit, vel in aliis verbis quam reipsa instituerit. Possit & 3. intelligi quod fuerit conuenientius formam à Christo præscribi, quam arbitrio cuiusque ministri relinqui.

Aduerte 3. determinationem verborum non tam intelligendam de materiali eorum sono, quam de formali sensu: siue enim aliquis baptizando vtatur verbis hebraicis, siue grecis, siue alterius idiomatis, modò sit idem formalis sensus in Ecclesia receptus, verba sufficienter censentur determinata ad Sacramentorum valorem. vide D. Tho. ad 1. Ratio est quod verba non sint euecta ad esse sacramentale ratione soni materialis, sed ratione significationis quam ex hominum instituto sortiuntur, & proinde vbi eadem est significatio & formalis sensus apud homines, verba sufficienter censentur determinata: quod etiam docet Ecclesiæ praxis, ex qua nobis innotescit quod licet Christus formam Sacramentorum potuerit adstringere ad certas voces materiales, id tamen minime fecerit, sed voluerit verba pertinere ad formam Sacramentorum ratione sensus significati, & proinde vbi idem est sensus, mutatio vocum materialium non obstat valori Sacramenti. Videri potest Caiet. h. resp. ad 2. & D. Tho. art. sequenti ad 2. vbi

Notandum si de aliqua verborum forma, seu oratione eiusdem vel alterius idiomatis merito dubitetur, num eundem sensum retineat cum forma vulgari, formam esse repetendam, quamuis speculatiue esset probabile prædictam formam fuisse legitimam.

Ex his patet quod docet D. Thom. resp. ad 3. eam prolutionis corruptionem non officere valori formæ & Sacramenti, quæ eundem sensum relinquit, vt si quis ex ignorantia linguæ latinæ baptizans dicat: *Ego te baptizo in nomine Patriæ & Filie & Spiritus sancti* consistit baptismus, vt determinauit Zacharias Papa, & refertur can. *retulerunt* dist. 4. quia licet *Patria* non significet Patrem, tamen vt est pars orationis corrupte prolata, ex communi hominum iudicio non significat aliud. Idem iudicandum est de eo qui ex balbutie vel præcipitantia verba sacramentalia corrupte pronuntiat: si enim communi modo loquendi idem sensus verborum relinquitur, conficit Sacramentum, si verò non relinquitur, Sacramentum non subsistit: proinde semper conandum est vt verba formæ integrè, distinctè, & intelligibiliter proferantur, vt omnis scrupulus euitetur, qui tamen solet attentionem adhibere & curare vt omnia integrè pronuntiet, potest esse securus de forma legitime pronuntiata, licet in aliquo casu particulari occurrat dubium, num vel omnia verba pronuntiauerit, vel pronuntiauerit satis distinctè.

Sensus articuli.

64.

Verba non sunt determinata quoad sonum materialem, sed quoad sensum formalem.

65.

Corollar. Corruptio formæ quæ relinquit eundem sensum, non obstat valori Sacramenti. Zachar. P.P.

ARTICVLVS VIII.

Virum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum?

66.

Resp. neg.

NEGAT; & docet tria. 1. si quis formam aliquid addendo vel ab ea tollendo intendat inducere ritum, quem non recipiat Ecclesia, non videtur perfici Sacramentum. 2. si qualibet adiectione, ablatione, mutatione materialium verborum, seu soni materialis, tollatur debitus verborum sensus, seu recedatur à sensu formae à Christo institutae, non conficitur Sacramentum. 3. si verò mutatio quae in verbis contingit, non tollat debitum eorumdem sensum, ita ut non obstante adiectione, detractioe &c. remaneat formalis sensus verborum, prout ad rationem formae requiritur, non tollitur veritas Sacramenti: quod etiam in materia est videre, cuius accidentaliter variatio non vitiat formam, nec valorem eiusdem tollit. 2. & 3. dictum satis patet ex articulo precedenti.

Coroll. 1.
Verborum transpositio quando officiat veritati Sacramenti.

67.

Ex quibus patet 1. quandonam transpositio verborum officiat veritati Sacramenti, quando verò non: quod docet D. Tho. responsione ad 3. si enim transpositio relinquat eum verborum sensum, quem exigit forma Sacramenti, non reddit Sacramentum inualidum & nullum; ut si quis dicat: *hoc est meum corpus*: si verò ex verborum transpositione oriatur diuersus sensus, non conficitur Sacramentum; ut si dicatur, *hoc corpus est meum*. Ratio discriminis est, quòd in priori propositione nomen, *corpus*, solum materialiter transponatur, remanet eodem modo se habendi ad copulam, & relicta eadem propositionis significatione in posteriori verò longè aliter se habeat respectu copulae, cum sit propositionis subiectum, & inducat alium propositionis sensum, scilicet quòd corpus iam existens sub specie panis sit corpus Christi, quod falsum est.

Coroll. 2.
De verborum interruptione.

68.

Patet 2. quod eadem responsione habetur, scilicet si tanta sit verborum interruptio, ut intentio pronuntiantis interrumpatur, seu moraliter loquendo verba posteriora cum prioribus non efficiant unam orationem, tolli veritatem Sacramenti: si verò sit parua, quae intellectum verborum non tollat, nihil obstat valori Sacramenti: ut si quis consecrans dicat: *hoc est cor*, & pra debilitate, vel alia de causa parum harena subiungat, *pro meum*, validè consecrat; cum morali hominum iudicio priora cum posterioribus coeant ad unam propositionem constandam, & non obstante tantilla interruptione verus sensus formae in animis audientium ingeneretur: si vero intermedio tempore volens ad alia se converterat, vel de aliis loquatur, non consecrat; cum eo casu communi iudicio ex prioribus verbis & posterioribus non censeatur constare una oratio.

Coroll. 3.
De additione ad formam.

69.

Patet 3. quòd quando alia verba adduntur formae, quae eiusdem formae verba solum accidentaliter determinant, & determinatio est vera, Sacramentum non vitietur: ut si quis baptizans dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris ingenti, Filii geniti, & Spiritus sancti procedentis ab utroque*: validum conficit Sacramentum; quia per additionem nullo modo mutatur sensus formae à Christo institutae.

Coroll. 4.
De detractioe.

Ex eodem principio patet 4. detractioem aliquis vocis in forma minimè officere veritati Sacramenti, quando ea non obstante remanet idem formalis verborum sensus, seu qui necessarius est ad sensum formae retinendum; ut patet in forma

consecrationis Eucharistiae, in qua detractio particulae, *enim*, non efficit valori, nec reddit formam irritam, quia ea particula detracta remanet idem verborum sensus necessarius: nam licet illa propositio *hoc est enim corpus meum*, sit casualis, non verò illa, *hoc est corpus meum*; nihilominus posterior retinet sensum formae, quòd scilicet sub specie panis corpus Christi per consecrationem sit, seu ponatur, & proinde quantum ad id quod ad rationem formae exigitur, equivaleret priori.

Ex eodem principio patet 5. quòd forma sit valida, quando dictio loco alterius posita distinctè idem significat cum ea cui substituitur; ut si in forma baptismi loco *baptizo* ponatur *abluo*, *lavo*. Dico distinctè; quia si dictio supposita solum confusè alteri equivaleret, mutatio officit veritati Sacramenti, & forma redditur inualida; ut si quis dicat, *ego te baptizo in nomine Trinitatis*; inualidum est Sacramentum defectu legitimae formae, quia nomen, *Trinitas*, ex modo significandi, non ingenerat distinctum conceptum Patris, Filii, & Spiritus sancti: sed tantum trium personarum, quacumque illa sint. Idem sit iudicium de dictionibus quae non satis distinctè significant idem cum dictione vsurpata solita in forma ordinaria. Videndum ergo est num vox communis hominum iudicio saltem peritorum in ea materia, eundem ingeneret distinctum conceptum cum ea quae coniuncta in forma vsurpatur.

Quod si vox substituta ambiguam habens significationem sumatur in illa significatione in qua constat forma, validè conficitur Sacramentum: licet enim ea vox multiplicem habeat significationem, ex adiunctis tamen si sufficienter determinatur ut sumatur in ea significatione, quam requirit forma Sacramenti, & eum sensum distinctè ingenerat in animis audientium iis circumstantiis, quibus pronuntiat. his positis

DVBIUM I.

Virum adiectio vel diminutio facta ex intentione ritum inducendi, qui non sit ab Ecclesia receptus, officiat veritati Sacramenti?

PLVRES sunt hac de sententia.

Prima asserit eo ipso quo minister addit aliquid formae non necessarium, volens inducere novum ritum & errorem in Ecclesia, Sacramentum nullo modo effici. videtur favere D. Thom. hic in corp. dicens, *Si intendat* (sc. minister Sacramenti) *per huiusmodi adiectionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum*, quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Ecclesia. videtur etiam favere Gab. in 4. dist. 3. quest. unica art. 2. conclus. 5. tenent Rich. eadem dist. art. 2. quest. 3. Adri. quest. 2. de baptismo §. *Ad videndum*, & alij; ut si quis formae baptismi addat, & in nomine Beatae Virginis, putans id requiri ad valorem formae, & intendens hunc ritum in Ecclesia introducere.

Secunda sententia est Dominici Soto in 4. dist. 1. quest. 1. art. 8. docentis, si in mutatione formae significatio substantialis servetur, & error quem minister Sacramenti conatur inducere toleretur ab Ecclesia, huiusmodi mutationem nihil efficere veritati Sacramenti: si verò non toleretur, officere: quod etiam proportionem docet de materia Sacramentorum. Ratio illius est, quia si toleretur, minister

potest

potest velle quod vult Ecclesia: si verò ritus quem vult inducere non toleretur, intentio ministri non potest consistere cum eo quod intendit Ecclesia.

Tertia sententia est Bell. lib. 1. de Sacramentis cap. 11. §. Ideo animadvertendum est, & sequentibus; docetur, si quis conetur inducere nouum ritum essentiali respectu totius Ecclesiae Christi, non perfici Sacramentum defectu intentionis: si verò quis intendat inducere ritum, qui tantum respectu particularis Ecclesiae, quam putat falli, sit nouus, posse perfici Sacramentum non obstante tali adiectione &c. Verum videtur aliter dicendum, itaque

Dico quantumuis minister Sacramenti adiciat aliquid verbis formae communiter vsurpari solitae cum intentione nouum ritum inducendi, siue is toleretur, siue non, siue intendat inducere tanquam essentiali siue non, adiectio vel alia mutatio non officit veritati Sacramenti, si ea non obstante utatur forma à Christo instituta cum intentione saltē confusa faciendi quod Christus instituit, & quod facit vera Christi Ecclesia. Vt, si quis baptizet sub illa forma, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis & Filij sapientis & Spiritus sancti Paracleti*, item: *in nomine Patris ingeniti, Filij geniti, Spiritus sancti procedentis ab utroque*; existimans adiecta verba requiri ad formam substantiam & valorem, & quantum in se est volens in Ecclesiam inducere eam adiectionē tanquam necessariam ad rationē formae baptismi, non obstante huiusmodi adiectione cum praedicta opinione & intentione verum conficit Sacramentum, si per hanc formam intendat facere quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Idem dicendū si in eadem baptismi forma, haec verba adiciat, & *in nomine D. V.* existimans illa esse essentialia, & sine quibus Sacramentum non subsistat. Tenent Dur. dist. 3. quaest. 2. Suarez tomo 3. in 3. partem disp. 1. sect. 5. conc. 1. Vasquez disp. 129. cap. 6. num. 94. & cap. 7. Antequam probetur conclusio

Supponendum additamentum illud non necessarium non reddere formam à parte rei falsam: id enim in hoc dubio supponi debet, cum tota ratio praesentis difficultatis petatur ex parte intentionis ministri: vnde particula *in nomine dñe Virginis*, ita sumi debet, vt non designet in autoritate D. V. sed solam inuocationem, quasi dicatur & *Dina Virgo te adiuvet*, hoc supposito

Probatur conclusio: in tali euentu forma à parte rei est legitima, & inueniuntur sufficiens intentio Sacramentum conficiendi; ergo verè confici potest. Antec. pro priori parte prob. si quis ex ignorantia vel naturali inaduerentia adiungeret formae legitimae haec vel similia verba, volens interim Sacramentum quantum in se est conficere, illud sine dubio conficeretur, vt patet ex notatis circa articulum, videaturque tradere D. Thom. in corp. & Doctores passim recipiunt; quia praedicta adiectio non mutat formalem sensum formae, seu ad illius veritatem per se necessarium; igitur in eo casu forma à parte rei est legitima, & proinde quantum est ex parte formae minister validum conficit Sacramentum. Confit. vt forma quantum ad verba sit in re legitima, non pender à scientia vel ignorantia ministri, vel ab eiusdem malitia, sed ab eo quod aliquis utatur verbis (saltem quoad sensum) à Christo institutis, quod in proposito contingit.

Idem antec. pro 2. parte prob. vt Sacramentum verè & validè conficiatur, quantum est ex parte intentionis, sufficit intentio faciendi quod Christus instituit, quae in praesenti potest inueniri, quia cum

opinionem qua aliquis existimet adiectionem esse necessariam ad essentiam formae, potest consistere voluntas faciendi id quod per formam fieri potest, si forte huiusmodi adiectio non sit necessaria.

Haec eadem voluntas potest consistere cum eo quod aliquis conetur inducere adiectionem tanquam necessariam, quia cum errore particulari vel conatu hunc errorem consequente potest consistere generalis intentio conficiendi Sacramentum per verba legitima, quae intentio influit in eternam pronuntiationem re ipsa legitimam; alia verò concomitanter se habent, & proinde non obstant validitati formae, pro quo

Notandum in tali ministro varios actus tum intellectus tum voluntatis inueniri posse. 1. inuenitur iudicium quo sibi persuadeat additamentum necessarium requiri ad essentiam formae, & formam absque illo non esse legitimam. 2. inuenitur voluntas seu conatus huiusmodi ritum seu additamentum inducendi contra Ecclesiae consuetudinem, & quidem tanquam ritum essentiali. 3. est prolatio eiusdem additamenti &c ex praedicta intentione proueniens, cum his tamen inuenitur 4. iudicium quod forma sine hac adiectione passim habeatur legitima, quod iudicium consequitur voluntas, quae minister velit per verba quae in propositione à se prolata sunt idonea, Sacramentum conficere, quaecumque illa sint, seu facere quod Christus instituit per verba legitima; quae intentio est efficax & sola influit re ipsa in opus externum, prout est Sacramenti confectio; cetera verò concomitanter se habent, vnde nec in opus influnt, nec illud censentur vitare in quantum est Sacramenti confectio, quia, vt ostensum est, non tollunt praedictam intentionem, nec reddunt propositionem falsam.

Confit. non requiritur vt minister Sacramenti habeat notitiam speculatiuam particularem & determinatam de veritate formae quam adhibet, sed sufficit quod re ipsa velit per aliquam formam facere quod Christus instituit, etiamsi forte existimet eam esse minus sufficientem, id autem idcirco contingit quod error particularis non influat in opus, nec destruat intentionem conficiendi Sacramentum.

In decursu dixi, additamentum quod aliquo necessarium non est, non debere reddere formam falsam. si enim falsam reddat, Sacramentum irritabit, quantumuis etiam ex ignorantia vel devotione ponatur, iuxta secundum dictum D. Thom. initio art. relatum, & passim receptum à Doctoribus; vt si quis formae baptismi adiungat illa verba, & *in nomine D. V.* intendens in autoritate D. V. baptismum conferre: quia forma etiam ex ignorantia prolata cum praedicta intentione vt additamentum coeet in vnam propositionem cum reliquis partibus, irrita redditur, vtpote falsa. Idem dicendum si quis cōsequeretur dicendo: *Hoc est corpus meum caleste* vel, *quod pro vobis non tradetur*, haec enim formam irritant, siue apponantur ex intentione nouum ritum in Ecclesia inducendi, siue ex ignorantia absque praedicta mala intentione; quia formam reddunt falsam, cum corpus quod per consecrationem sub specie panis poni debet, sit illud idem quod ex D. V. per generationem sumptum est humanum, non verò naturae celestis, vt quidam haeretici voluerunt, & sit illud idem corpus quod pro nobis in ara crucis est traditum. Idem sit iudicium de similibus additamentis, vbi tamen

Christus instituit.

75. Varij actus qui inueniuntur possunt in propositione.

Nō requiritur vt minister habeat notitiam speculatiuam particularem de veritate formae.

76. Si additamentum reddat formam falsam, non conficitur Sacramentum.

Notandum

77.
Duobus
modis po-
telt aliquid
falsum ad-
ijci formæ.

Notandum duobus modis posse aliquid formæ adijci. 1. vna eademque verborum serie, seu ita vt cum aliis partibus propositionis componant vnā propositionem: hoc casu additamentum falsum officit veritati Sacramenti, quia propositionem atque adeo formam falsam reddit.

2. Per modum explicationis sententiæ ipsius ministri, qui nolit additamentum suam sententiam explicans apponere tanquam propositionis partem, sed extra illam, relinquens suā intentione propositionem in consuetis terminis, siue in illis sit vera, siue falsa, & intendens per illam Sacramentum conficere, si forte sit vera & conformis illi quam Christus instituit: vt si quis putans cum Ariano Dei Filium esse minorem Patre, dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris* &c. particulas, *maioris* & *minoris*, addendo quodammodo per parenthesin per modum explicationis sui erroris, non verò per modum partis propositionis, relinquens propositionem in suis terminis; eo casu additamentum alioquin falsum non videtur formam irritare, seu veritati Sacramenti officere, quia forma eo casu est vera, & legitima; cum propositio quam minister ad consecrationem Sacramenti assumit, sit vera, & per eam intendat efficaciter Sacramentum conficere, si forte confici possit; explicatio verò falsa sit extra seriem propositionis.

Cerollariū.
De valore
Baptismi
ab Ariano
collati.

Ex quibus patet quo casu possit censeri validus baptismus ab Ariano sub prædictis verbis collatus. Si enim additamentum apponat solum per modum explicationis iuxta modum à nobis relatum, validè baptizat: si verò apponat priori modo, Sacramentum est nullum. Quia verò est difficillimum hæreticum sentientem Filium esse minorem Patre, & vtentem prædictā formā non intendere baptizare in nomine eius, quem existimat minorem; idcirco præsumi potest baptismum ab Ariano sub prædicta forma collatum esse inualidum, quia merito potest præsumi additamentum ab illo apponi per modum vnus seriei, & vt cum aliis vnā confleret propositionem.

78.

Satisfit r.
sententiæ.

Ex dictis non difficulter potest responderi ad alias sententiæ.

Ad primam Resp. neg. assumptum: nam patet quod cum errore prædicto, & perversa voluntate inducendi ritum ab Ecclesia non receptum, possit consistere intentio, & voluntas faciendi quod Christus instituit, & per consequens intentio faciendi quod facit Ecclesia; vt patet in ministro Græco consecrante in fermentato, qui validè consecraret, quamvis conaretur hunc ritum inducere tanquam necessarium. Ad id quod ex D. Thom. affertur

Explicatur
mens S.
Thom.

Respondeo eum per verba citata non negare absolute in casu dubij Sacramentum perfici, sed solum dicere non videri perfici, scilicet ex quadam præsumptione, quia non potest prudenter ab aliis præsumi ministrum habere legitimam intentionem, qui cum tali errore & conatu profert formam alioquin veram cum adiectione non necessariā. 2. quia non facile in re ipsa videbitur habere legitimam intentionem, qui sciens talem adiectionem ab Ecclesia non recipi tanquam necessariā, eam nihilo minus tanquam necessariā conatur in eandem Ecclesiam inducere. Fieri tamen potest vt in re ipsa legitimam habeat intentionem, & proinde Sacramentum conficiat; quia vt ostensum est, hæc duæ intentiones non adeo formaliter sibi repugnant, vt nullo modo se inuicem compatiuntur, nec prior

est adeo efficax, vt ea præsentem non possit inueniri, & in opus influere confusa intentio faciendi quod Christus instituit, & per consequens quod facit Ecclesia.

Ad secundam Resp. posse inueniri intentionem faciendi quod Christus instituit, quamvis aliquis per adiectionem intendat inducere ritum ab Ecclesia non toleratum, & proinde posse inueniri sufficientem intentionem ad valorem Sacramenti.

Petes quomodo talis minister dici possit habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, cum quantum in se est illi repugnet?

Resp. habere in eo quod velit facere id quod Christus instituit: quando enim dicitur quod minister debeat habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nihil aliud designatur quam quod debeat se conformare intentioni Christi, quæ dicitur esse totius Ecclesiæ, quia videlicet Christus reliquit Sacramenta Ecclesiæ, vt in ea conficerentur iuxta modum & ritum eidem Ecclesiæ à se præscriptum; non verò designatur quod ad substantiam Sacramenti requiratur vt minister humana & actuali voluntati Ecclesiæ se conformet. Vnde forma quæ vno loco est sufficiens ad valorem Sacramenti, sufficit pro tota Ecclesia, excepta formā matrimonij circa quam Ecclesia potest varia disponere; quod provenit ex peculiari ratione istius Sacramenti, quod in civili contractu fundatur: humana autem potestate fieri potest vt forma vno loco ad contractum sufficiens, alibi sit insufficiens: & similiter materiā & formā ordinis, vt infra in materia de Sacramento ordinis ostendemus. Ex his

Aduerte videri parum solidum discrimen allatum à Soto inter eum, qui aliquid adiciendo vult inducere ritum ab Ecclesia toleratum, & eum, qui vult inducere non toleratum: cum enim forma Sacramentorum quoad suum valorem non dependeat ab Ecclesia, sed sint validæ quando re & sensu conueniunt cum forma à Christo instituta, est impertinens quod ritus ab Ecclesia toleretur, vel non toleretur, si inueniatur sensus à Christo ad valorem formæ requisitus, & inueniatur in ministro intentio faciendi quod Christus instituit: quam intentionem posse inueniri etiam in eo qui ritum ab Ecclesia non toleratum conatur inducere, ex dictis patet.

2. Qui conatur inducere ritum ab Ecclesia non toleratum, non potest aliunde dici non conficere Sacramentum, quam quia formam vitiat: non potest autem aliunde dici eam vitare, quam quia ex suo errore particulari addit aliquid formæ, putans illud necessarium; id autem etiam inuenitur in eo, qui ritum toleratum conatur inducere; igitur si prior dicatur officere veritati Sacramenti, etiam posterior dicendus erit officere, & proinde minus solidè inter vtrumque constituitur discrimen.

Confirm. quod Ecclesia toleret vel non toleret aliquem ritum, non mutat naturam Sacramenti, cum, vt dictum est, in Sacramentis Ecclesia solum habeat potestatem ministerij. si ergo in vtroque casu cetera sint paria, Sacramentum non ex eo reddetur inualidum quod Ecclesia ritum non toleret. Patet, si Latinus in Ecclesia Latina consecraret in fermentato, verè consecraret, quamvis ille ritus in ea non toleretur. Item si Ecclesia vniverſalis illi prohiberet ne quis in fermentato consecraret, qui contra huiusmodi prohibitionem consecraret, verè conficeret Sacramentum.

Ad

Ad tertiam Resp. cum non obstante voluntate inducendi ritum essentialem respectu totius Ecclesiae possit inueniri voluntas faciendi quod Christus instituit, eadem non obstante potest inueniri sufficiens intentio Sacramentum conficiendi. Confr. iuxta illam sententiam potest inueniri sufficiens intentio cum voluntate nouum ritum inducendi respectu Ecclesiae particularis; ergo etiam potest inueniri cum voluntate inducendi respectu Ecclesiae vniuersalis: quia in priori casu idcirco potest inueniri sufficiens intentio, quod cum iudicio erroneo possit consistere voluntas faciendi quod Christus instituit; eadem autem voluntas inueniri potest cum iudicio erroneo, quod tota Ecclesia erret.

Contra conclusionem pro prima sententia videtur facere Zacharias Papa can. *Regulerunt* cit. praecedenti art. dicens de eo qui ex ignorantia linguae Latinae baptizauerat in nomine Patria &c. *si ille qui baptizauit non errorem introducens aut haeresim pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam, ut sapienter sancti iunius baptizans dixisset, non possumus consentire ut deus baptizentur.* quo loco Pontifex videtur insinuare à contrario sensu non futurum validum baptismum eo modo collatum, si quis hac ratione voluisset errorem in Ecclesiam inducere.

Resp. neg. conseq. solum enim Pontifex vult decernere in specie casus sibi propositi, baptismum nullo modo esse iterandum, quod in talibus circumstantiis constaret, de eiusdem valore nullo modo dubitandum; de alio vero casu minus claro nihil decernit. Vel dicere possumus, quod Zacharias Pontifex existimauerit eum qui ex heresi ita promittisset, non consecratur Sacramentum, non praecise quod errorem vellet inducere, sed quod eo casu non posset conferri uti praedictis verbis in communiori significatione, quam in talibus circumstantiis ingerebant, sed in alia quae reddat formam falsam.

D V B I V M II.

An mutatio forma sit peccatum?

EX dictis satis constat formam per mutationem posse reddi falsam, vel dubiam, vel non obstante tali mutatione Sacramentum perfici posse.

Dico 1. si forma reddatur falsa per quamcunque adiectionem, detractionem, vel mutationem, ex rei natura peccatum mortale committitur. Patet, quia grauissimum est sacrilegium, Sacramentum irritum reddere. Dixi, ex rei natura, seu, per se loquendo: quia hic etiam potest contingere quod in aliis materiis, ut per accidens ratione inaduertentiae aliquis excusetur à peccato, interdum ab omni, interdum à mortali.

Dico 2. per se etiam loquendo est mortale peccatum uti forma dubia. Eadem est ratio quae praecedens conclusionis, quod videlicet sit graue sacrilegium, Sacramentum periculo nullitatis exponere. vbi tamen

aduertere quod quemadmodum necessitas potest excusare à peccato, quando non datur copia certae materiae & indubitatae, sumatur dubia; ita eadem potest excusare, si nullo existente qui formam indubitatam nouerit, adhibeatur dubia ab eo qui solum nouit dubiam. Nam quemadmodum extrema necessitas facit ut non censearis iniurius in Sacramentum, neque censearis ullam irreuerentiam illi irrogare, si ut consulas proximo alioquin certo perituro omni modo quo potes, adhibeas materiam dubiam, & per quam forte Sacramentum non

subsistat; ut, si deficiente alia aqua infantem alias sine Sacramento decessurum; & in aeternum periturum, baptizes in aqua rosacea: ita eadem facit ut, si nullus certam formam nouerit, liceat in tanto discrimine uti dubia, nec Sacramentum censeatur indignè tractari, si in eo casu toneris proximo succurrere medio incerto, deficiente certo.

Quoad formam tamen non videtur morale, ut qui certam ignorat, nouerit dubiam, cum certa passim sit notior in Sacramentis quae sunt necessitatis, baptismi scilicet & poenitentiae: in aliis enim necessitas non ita facillè hanc licentiam videtur tribuere: quoad materiam autem facilius casus potest contingere. Similiter facilius potest contingere ut pars aliqua subiecti extet, de qua dubitetur num sit sufficiens ut Sacramentum in ea possit conferri, in qua tamen propter necessitatem Sacramentum conferri potest: ut si parua pars infantis extet, qui nequeat in maiori baptizari, & tamen de vita periclitetur, potest baptismus conferri eam partem ablundo; nec Sacramentum in ea circumstantia censeatur irreuerenter tractari, quamuis nullitatis periculo exponatur.

Dico 3. est etiam peccatum mutare formam quamuis mutatio sit accidentalis, & illa non obstante verum conficiatur Sacramentum: quia est irreuerentia deliberatè consuetam formam relinquere. vbi

Notandum quod D. Tho. art. 7. resp. ad 2. dicat in forma Sacramenti debere assumi vocem, quae communius homines illius linguae vtuntur ad hoc significandum: quod, ut bene aduertit Caiet. non semper est intelligendum de usu vulgari, sed de usu accommodato ad diuina mysteria, seu de usu communiori ecclesiastico. Nam Ecclesia etiam Latina in administratione baptismi vtitur voce *baptizo*, quae nullo modo dici potest à Latinis communius & principalius assumi ad designandam lotionem: solum ergo videtur velle quod in celebratione Sacramentorum voces sint vsurpandae, quae ex usu ecclesiastico principalius significant in ea lingua, id quod fit in Sacramento. Vniuersalius dici potest, formas in Ecclesia receptas adhibendas esse, nec posse alias adhiberi citra irreuerentiam: in baptismi obsterices in casu necessitatis baptizantes, melius vtuntur formam in suo vulgari idiomate.

Suboritur difficultas quantum sit peccatum mutare consuetam formam adiciendo, detrahendo, alias voces substituendo, saluam veritate formae. Videri potest tantum esse veniale; quia, cum forma tali mutatione non vitietur, videtur tantum levis irreuerentia à communi modo aliquantulum recedere. Verum licet interdum sit solum veniale, negari tamen non potest quin aliquando sit mortale.

Resp. itaque 1. si quis formae consuetae aliquid addat, volens nouum ritum in Ecclesia introducere, peccat mortaliter; quantumuis additamentum sit verum & forma valida. Probatur, grauiter repugnat rationi velle aliquid inducere tanquam essentiale, quod non est essentiale formae: nam per hoc censeatur grauis iniuria Christo Sacramentorum auctoritati irrogari, similiter & Ecclesiae, quam hac ratione conatur aliquis in grauem errorem inducere.

Resp. 2. si quis contra preceptum ecclesiasticum mutet formam, potest grauiter peccare: quia Ecclesia potest habere graue motiuum legis suae, v. g. ne paulatim certa forma vsurpetur tanquam necessaria, & sine qua Sacramentum non subsistat; ergo qui secus fecerit grauiter peccabit, quamuis forma de cetero sit legitima. V. g. Ecclesia aduertens

periculum

84.

In necessitate vi potest forma dubia; sed is casus est rarus.

Conclus. 3.

Est etiam peccatum mutare formam accidentalem.

85.

S. Thom.

Obsterices

ces baptizantes melius vtuntur formam in vulgari idiomate.

86.

Difficultas.

Subinde

mortaliter peccari potest per mutationem accidentalem formae.

87.